ACTA ET DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS MARIANOPOLITANI

PRIMI

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PROVINCIALIS * MARIANOPOLITANI

PRIMI

A. D. MDCCCXCV

PRAESIDE

Illmo et Rmo EDUARDO CAROLO FABRE

ARCHIEPISCOPO MARIANOPOLITANO

MARIANOPOLI

EX TYPOGRAPHIA ARBOUR & LAPERLE

419 et 421, via Sancti Pauli

1901

ACTA CONCILII

ERRATA

Pag.	Lin.		Lege :
29	8,	*loco* exerceant................	immisceant.
34	3,	*loco* Dec. XIV................	Decretum XIII.
34	4, etc.,	*loco* Dec. XV................	Decretum XIV, etc..
50	27,	*loco* subtantiae..............	substantiae.
125	18,	....	acceptanda.
179	2,	....	dioecesanae.
183	8,	....	ecclesia.
183	8,	....	ejusdem.
183	10,	*loco* bua......................	qua.
184	20,	*loco* Diteris..................	Literis.
195	13,	....	saecularibus.
209	not.,	*loco* mart. 1878..............	11 mart. 1868.
231	29,	....	frequentare.
250	not.,	....	*Officiorum ac munerum.*
274	6,	*loco* reformidant.............	reformident.
291	21,	....	Praedicatoris.
304	21,	....	ad locum ubi.
312	6,	*loco* quinquid quam.......	quin quidquam.
312	9,	*loco* secietates...............	societates.
315	17,	*loco* Famillae.................	Familiae.

ACTA CONCILII

LITERAE APOSTOLICAE

Venerabili Fratri

EDUARDO CAROLO,

Archiepiscopo Marianopolitano,

Marianopolim :

LEO P. P. XIII.

Venerabilis Frater,

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

CANADENSIUM Ecclesiam, utpote Romanae Sedi nullo non tempore addictissimam, dileximus semper ac diligimus. Quamobrem laeto animo nuncium accepimus de primo Provinciali Concilio Marianopolitanae regionis propediem a te cogendo ; nimium enim perspectum est quales id genus coetus utilitates nati sint parere religiosae rei. Probasti autem Nobis observantiam tuam et caritatem quod agendo conventui

auspicia ab Apostolica Sede ducenda existimaveris. Nos igitur, tibi de delato officio gratias habentes, Concilio ipsi et Episcopis universis in eo adfuturis coelestium munera gratiarum ex animo adprecamur. Studiis autem vestris augendis secundoque exitu ditandis Apostolicam Benedictionem tibi caeterisque Antistitibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII septembris M.DCCC.XCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO P. P. XIII.

LITERAE INDICTIONIS CONCILII

Eduardus Carolus Fabre, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Marianopolitanus.

Illustrissimis et Reverendissimis Fratribus Coepiscopis et Comprovincialibus Nostris. Reverendissimo Abbati Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes, Venerabilibus Capitulis Ecclesiarum cathedralium omnibusque Marianopolitanae provinciae ecclesiasticis viris qui de iure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent,

Salutem in Domino qui est vera salus.

Quum Sancta Sedes Apostolica, quod sibi placuerat

provinciam ecclesiasticam Marianopolitanam ex dioecesibus Marianopolitana, Sancti Hyacinthi et Sherbrookiensi constituere et erigere, id, bulla die octava mensis iunii anni 1886 data, exsecutioni mandaverit ; ac postea Campivallensem dioecesim erigere dictaeque Marianopolitanae provinciae adiungere decreverit, idque, bulla die quinta mensis aprilis anni 1892 data, effecerit ; Nostrum proinde est, utpote Marianopolitanae provinciae Archiepiscopi, iuxta mandata Sacrosancti Tridentini Concilii, Suffraganeos Nostros in Provinciale Concilium convocare ; ut Nobiscum, Spiritu Sancto opitulante, abusus, si qui forte in disciplinam ecclesiasticam irrepserint, tollant, Ecclesiae iura tueantur, mores informent, catholicam atque optimam iuventutis institutionem vindicent et promoveant, et aliis demum, quae ad religionis honorem et salutem animarum profutura videantur, opem omnem studiumque conferant.

Nos igitur, gravissimo illi officio, quantum in Nobis est, satisfacere cupientes, invocato Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti nomine, auxilio Immaculatae et Beatissimae Virginis Mariae Deiparae implorato, ad fidem catholicam in cordibus credentium hac in provincia Marianopolitana tuendam stabiliendamque, ad cultum divinum ampliori honore muniendum, ad studium bonorum operum rectaeque disciplinae amorem in clero et in populo fovendum, ad abusus, si opus fuerit, radicitus evellendos, Concilium Marianopolitanum primum in civitate Nostra Marianopolitana Ecclesiaque Nostra Metropolitana indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta Ecclesia, die vigesima nona mensis septembris decurrentis anni 1895, incipiendum ac postea ad finem usque prosequendum per praesentes Literas indicimus et convocamus.

Quapropter Illustrissimis et Reverendissimis Fratribus in Christo, Episcopo Sancti Hyacinthi, Episcopo Campivallensi et Episcopo Sherbrookiensi, Comprovincialibus Nostris, necnon Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo titulari Druziparensi, Episcopi Sancti Hyacinthi coadiutori, et Reverendissimo Abbati Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes, Venerabilibus quoque Capitulis, aliisque qui Concilio Provinciali interesse iure vel consuetudine tenentur, mandamus ac praecipimus ut ad supradictum Concilium, die ac loco ut supra assignatis, personaliter compareant. Quod si qui Episcopi, ob iustam causam, Concilio per se adesse non possent, Procuratores saltem legitimo atque authentico procurationis instrumento munitos ad illud mittant ; quo in casu Nostrum Patrumque Concilii erit tum de impedimenti legitimitate, tum de procurationis validitate iudicium ferre. Episcopi vero supradicti suae quisque Ecclesiae Cathedralis Capitulum, aliosque sibi subditos ad quos pertinet, monere teneantur.

Quoniam denique *nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam*, [1] tam piissimos Praesules quam clerum totum, totumque populum enixe rogamus et adhortamur ut prece ferventi Nos et omnes huic Synodo interfuturos adiuvent, Deum Optimum Maximum assidue obsecrantes ut nobiscum sit et nobiscum laboret, ut mentes illuminet, corda succendat, inceptaque bene actus et operationes ad felicem exitum perducat, sua quoque omnipotentia hoc primo Marianopolitano Concilio pietatem promoveri, ecclesiastici ordinis decus augeri, fidem firmari, christianae

[1] Ps. CXXVI, 1.

caritatis opera magis abundare procuret, quae ii qui foris sunt conspicientes Ecclesiae Catholicae divinam originem intelligant calcatisque erroribus ad veritatis admirabile lumen introducantur.

Datum Marianopoli, sub signo sigilloque Nostro ac Cancellarii Nostri chirographo, die decima nona augusti, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quinto.

L. † S. ✠ EDUARDUS CAR., Arch. Marianop.

De mandato Illmi et Rmi Archiepiscopi,

ALFREDUS ARCHAMBEAULT, Can.,
Cancellarius.

LITERAE PATRUM CONCILII

AD

SS. D. N. LEONEM P. P. XIII

Sanctissimo Domino Nostro Leoni P. P. XIII.

Beatissime Pater,

Quod nobis erat in votis, et Sanctitati Tuae futurum iam literis fuerat relatum, nos, Episcopi hujus provinciae Mariano-

politanae, die vigesima nona mensis septembris novissimi, convenimus sub patrocinio Sanctissimi Nominis Mariae ad nostrum primum Concilium celebrandum. Vix sacer conventus agi coeperat, quum pervenerunt ad aures nostras paterna plane verba quibus Sanctitas Tua nobis animos addere dignabatur, et caput venerabundi demisimus benedictionem religiosissime suscepturi.

Ergo, auspice Sancta et Apostolica Sede, aggressi sumus opus nostrum quod ad felicem exitum perducere statuimus, conati impetrare a Deo ut nos moveret pietas, coniungeret caritas et dirigeret zelus domus Dei.

Quapropter, toto tempore conventus nostri, cui plebs sancta liberis se adiunxit precibus, poenitentia, publicis solemnibusque ritibus, in unum omnes omni ope adnisi sunt : ut scilicet Christi imperium ubique vigeat, ut propagentur fines Ecclesiae, expoliantur mores iuventutis, sanctificetur clerus, religiosi ordines et congregationes constantius vivant, et leges Dei et Ecclesiae firmius a fidelibus custodiantur. Quum autem ex Sanctitatis Tuae verbis et actis deliberationes nostrae tanquam a suo principio proficiscerentur, non potuimus non protestari quam addicti Petri Cathedrae, quam adstrictis vinculis et dicto audientes Sanctae Sedi, iungeremus vocem nostram voci totius orbis catholici ad expostulanda sacra iura libertatemque perfectam Patris nostrum omnium.

Dum autem Sanctitati Tuae, Beatissime Pater, quidquid deliberavimus subiicimus humiles, hoc animo Tuo solatium iuvat exhibere, inter mala quidem repellenda quæ fidei immineant et bonis moribus, prohibenda vitia ne in hanc terram Canadensem radices agant, fidem tamen Catholicam alte in ea inolevisse, foveri apud oves nobis commissas sincerum amorem erga Ecclesiam eiusque ducem augustum.

Precamur supplices ut Tua Benedictio, Beatissime Pater, et plebem avitae fidei tenaciorem et nos, pastorali munere fungendo, sollicitiores praestet, quam nobis nostroque gregi non denegabis.

Humillimis Tuis et addictissimis filiis

† Eduardo Car., Arch. Marianopolitano,

† L. Z., Epo S. Hyacinthi,

† Iosepho Medardo, Epo Campivallensi,

† Paulo, Epo Sherbrookiensi,

† Max., Epo Druziparensi.

ACTUM PRAEVIUM

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octingentesimo nonagesimo quinto, ab erectione Provinciae ecclesiasticae Marianopolitanae nono, die vigesima septima septembris, Illmi et Rmi Metropolitani literis supra relatis prompto animo obsequentes, omnes Episcopi Suffraganei in aedes palatii archiepiscopalis convenerunt, ubi eos peramanter excepit Illmus et Rmus Archiepiscopus.

Aderant igitur, praeter Illustrissimum et Reverendissimum Metropolitanum, DD. Eduardum Carolum Fabre :

RR. DD. Ludovicus Zephyrinus Moreau, Episcopus Sancti Hyacinthi ;

RR. DD. Iosephus Medardus Emard, Episcopus Campivallensis ;

RR. DD. Paulus La Rocque, Episcopus Sherbrookensis ;

RR. DD. Maximus Decelles, Episcopus titularis Druziparensis et coadiutor supradicti RR. DD. Episcopi Sancti Hyacinthi ;

RR. Pater Antonius, Ordinis Cisterciensium Reformatorum Beatae Mariae Virginis de Trappa, Abbas Monasterii Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes.

PRIMA PRIVATA CONGREGATIO EPISCOPORUM

Die insequenti sabbati, hora ante meridiem decima, Illmi et Rmi Patres primam congregationem privatam habuerunt, in qua primum lecta est epistola ab Illmo et Rmo Metropolita ad Romanum Pontificem missa de convocatione Concilii

Provinciae Marianopolitanae primi, et responsio a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII accepta ; postea, de consensu Patrum, RR. DD. Episcopus titularis Druziparensis et RR. P. Abbas Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes admissi sunt cum voce consultiva tantum ad Concilium.

Illmus dein et Rmus Archiepiscopus, ad mentem decreti, Officiales, quorum sequuntur nomina, elegit :

Promotorem. — R. D. Paulum Napoleonem Bruchési, canonicum titularem Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, doctorem in sacra theologia et in iure canonico licentiatum.

Vice-Promotorem. — R. D. Eucherium Lussier, canonicum honorarium Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, vicarium foraneum, et parochum Sancti Clementis *de Beauharnois* in dioecesi Campivallensi, doctorem in iure canonico.

Secretarium. — R. D. Alfredum Iosephum Archambeault, canonicum titularem Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, cancellarium archidioecesis, doctorem in sacra theologia et in iure canonico.

Sub-Secretarium. — R. D. Petrum Iosephum Amedaeum Lefebvre, rectorem Seminarii Minoris Sherbrookiensis, doctorem in iure canonico.

Notarium. — R. D. Gaspardum Dauth, capellanum Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae.

Caeremoniarum magistros. — R. D. Alexandrum Perron, capellanum Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae eius-

demque Ecclesiae magistrum Caeremoniarum, et R. D. Herculem Marsolais, sacerdotem Marianopolitanum.

Cantores. — R. D. Hermenegildum Charpentier, et R. D Avilam Bélanger, sacerdotes Marianopolitanos.

Admittunt Patres tanquam Theologos et Canonistas :

1. Illmi et Rmi Archiepiscopi Marianopolitani

R. D. Fridericum Aloysium Colin, canonicum honorarium Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, superiorem societatis Sancti Sulpitii in urbe Marianopoli, doctorem in sacra theologia ; R. D. Antoninum Nantel, canonicum honorarium Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, lectorem theologiae in Seminario Sanctae Teresiae ; R. D. Ioannem Baptistam Proulx, canonicum honorarium Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, vice-rectorem Universitatis Lavallensis, parochum Sancti Lini ; R. P. Telesphorum Filiatrault, e Societate Iesu, rectorem domus studiorum apud Immaculatam Conceptionem, Marianopoli.

2. Rmi DD. Episcopi Sancti Hyacinthi

R. D. Antonium O'Donnell, canonicum titularem Ecclesiae cathedralis Sancti Hyacinthi, parochum Sancti Dionysii *de Richelieu ;* R. P. Paulum Duchaussoy, priorem Fratrum Praedicatorum, in civitate Sancti Hyacinthi.

3. Rmi DD. Episcopi Campivallensis

R. D. Eucherium Lussier, canonicum honorarium Metro-

politanae Ecclesiae Marianopolitanae, vicarium foraneum, parochum Sancti Clementis *de Beauharnois*, doctorem in iure canonico ; R. D. Moysen Mainville. rectorem missionis Sancti Francisci Regis.

4. Rmi DD. Episcopi Sherbrookiensis

Admodum Rev. Hubertum Oliverium Chalifoux, vicarium generalem Episcopi Sherbrookiensis ; R. D. Petrum Iosephum Amedaeum Lefebvre, rectorem Seminarii Minoris Sherbrookiensis, doctorem in iure canonico.

5. Rmi DD. Episcopi titularis Druziparensis, coadiutoris Rmi DD. Episcopi Sancti Hyacinthi

R. D. Henricum Duhamel, canonicum titularem Ecclesiae Cathedralis Sancti Hyacinthi, eiusdemque Ecclesiae rectorem ; R. D. Iosephum Alfredum Lemieux, superiorem Seminarii Minoris Sanctae Mariae *de Monnoir*. rectorem eiusdem nominis Ecclesiae, doctorem in sacra theologia.

6. RR. P. Abbatis Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes

R. D. Carolum Isaiam Lecoq, sacerdotem e societate Sancti Sulpitii, rectorem Seminarii Maioris Marianopolitani, doctorem in sacra theologia ; R. P. Iosephum Lefebvre, provincialem Oblatorum Mariae Immaculatae, Marianopoli.

Constitutae sunt postmodum variae Congregationes particulares, quarum cuique fuit aliqua specialis materia assignata, ut sequitur :

I CONGREGATIO :

De cultu, de veritate catholica servanda et propugnan. le bonis temporalibus Ecclesiae

Praeses : RR. DD. Episcopus Sancti Hyacinthi.

Theologi : Admodum Rev. Florentius Bourgeault, R. D. Moyses Mainville, R. D. Henricus Duhamel, R. P. Iosephus Lefebvre, O. M. I.

II CONGREGATIO :

De fide et doctrina, de Regularibus, de Monialibus, de educatione Clericorum, de foro i- astico et de officialitatibus, de sepultura ecclesiastica

Praeses : RR. DD. Episcopus Ca..pivallensis.

Theologi : R. D. Aloysius Colin, R. D. Antoninus Nantel, R. P. Paulus Duchauss.., O. P.

III CONGREGATIO :

De personis ecclesiasticis et de iuventute erudienda

Praeses : RR. DD. Episcopus Sherbrookiensis.

Theologi : R. D. Ioannes Remigius Ouellette, R. D. Ioannes

Baptista Proulx, R. D. Carolus Isaias Lecoq, P. S. S., R. D. Iosephus Alfredus Lemieux.

IV CONGREGATIO.

De Sacramentis

Praeses : RR. DD. Episcopus titularis Druziparensis.

Theologi : Adm. Rev. Hubertus Oliverius Chalifoux, R. D. Antonius O'Donnell, R. D. Paulus Napoleo Bruchési.

V CONGREGATIO :

De diversis malis vitandis et de operibus zeli et pietatis

Praeses : RR. P. Abbas Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ad Duos Montes

Theologi : R. D. Eucherius Lussier, R. D. Petrus Iosephus Amedaeus Lefebvre, R. P. Telesphorus Filiatrault, S. I.

Patres tamen sibi ius reservant cuilibet ex particularibus Congregationibus proponendi schemata alia quam quae ad eam regulariter pertinent, quo expeditius negotia pertractari valeant.

Ad praecedentiam vero quod attinet, ordinemque sedendi et procedendi, Patres, Concilium Quebecense quintum imitati, ut subiectus ordo observetur voluerunt :

Illmus et Rmus Metropolita ;

Episcopi residentiales, iuxta ordinem suae promotionis ;

Episcopus coadiutor Sancti Hyacinthi Episcopi ;

Rmus P. Abbas Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu ;

Deputati Venerabilium Capitulorum ;

Vicarii Generales ;

Alii sacerdotes secundum tempus suae ordinationis, et si etiam in ordinationis die conveniant, saecularibus praecedentibus regulares.

His peractis, regulae quaedam statutae sunt de modo vivendi in Concilio, de Sessionibus, de ratione procedendi in Congregationibus particularibus et in Congregationibus Episcoporum privatis.

RR. DD. Episcopo Campivallensi commissa est cura epistolam ad Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XIII, nomine Patrum huius Concilii, conscribendi.

Tum schema *Epistolae Pastoralis* ad populum et clerum provinciae Marianopolitanae nomine Patrum primi Concilii Provincialis dirigendae ipsis approbandum subiectum est.

Assenserunt denique Patres primam sessionem publicam in Ecclesia Metropolitana celebrandam esse die sequenti, vigesima nona septembris, sancto Michaeli Archangelo sacra, hora quidem nona antemeridiana.

Quamvis autem, durante Concilio, pro variis decretorum titulis, prout supra exponitur, plurimae Congregationes, tum privatae Episcoporum, tum generales, tum particulares, habitae fuerint, Patribus tamen visum est nonnisi primae generalis Congregationis publicarumque Sessionum acta et instrumenta typis excudenda mandare.

Absolverunt hanc primam Episcoporum privatam Congre-

gationem Patres, seipsos sub beatissimae et gloriosissimae Virginis Mariae tutelam recipiendo per orationem *Sub tuum praesidium.*

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS

Sabbato ante Dominicam XVII post Pentecosten, hora tertia, habita est prima congregatio generalis.

Consederunt in aula maiori domus archiepiscopalis, praeside Illmo et Rmo DD. Archiepiscopo Marianopolitano, Rmi DD. Episcopi Sancti Hyacinthi, Campivallensis, Sherbrookiensis, coadiutor Sancti Hyacinthi Episcopi, et Abbas Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae de Lacu, praesentibus omnibus Canonicis et Theologis, rite convocatis et quorum nomina supra descripta fuerunt.

Recitata ab Illmo Metropolita deprecatione *Adsumus*, Concilii Secretarius palam perlegit epistolam ad Romanum Pontificem scriptam ab Illmo Archiepiscopo de convocatione Concilii Provinciae Marianopolitanae primi et responsionem paterna affectione plenam Leonis PP. XIII.

Tum, vocatis nominatim Canonicis et Theologis, unusquisque respondit *Adsum* ; exhibitaque sunt instrumenta procuratoria Deputatorum cuiusvis Capituli.

Ex parte Capituli Ecclesiae Metropolitanae deputatus missus est

Admodum Rev. Florentius Bourgeault, vicarius generalis Illmi et Rmi Archiepiscopi, Praepositus.

Ex parte Capituli Sancti Hyacinthi

Reverendus Ioannes Remigius Ouellette, canonicus theologus.

Deinde leguntur Officialium nomina in praevia congregatione a Patribus designatorum, — elenchus Theologorum ac Canonistarum ab unoquoque Episcopo selectorum, — ordo sedendi in proxima Synodo servandus, catalogus deputationum, nec non materiarum in singulis deputationibus tractandarum, ut in praevia congregatione privata Episcoporum statutum fuerat, — tituli decretorum quae in prima sessione proclamabuntur, i. e. *De aperienda Synodo, De modo vivendi in Concilio, De praeiudicio non afferendo, De non discedendo, De Synodi officialibus, De vocatione nominum, De professione Fidei, De residentia.*

Promulgat deinde Secretarius instructionem deputationibus a Patribus datam ut scilicet super schematibus earum studio propositis scriptam relationem exhibere debeant, quae ex ordine agat : 1. de titulo, 2. de opportunitate, 3. de textu ipso, 4. de iis quae de eadem quaestione iam in Conciliis Quebecensis provinciae tractata sunt ; et ut Notarius cuiusque deputationis relationem subsignet, statim ac completa ea fuerit, eamque Promotoribus remittat.

Illmus et Rmus Archiepiscopus traditis regulis, iam a Patribus probatis, quas in deputationibus et in Congregationibus

generalibus servari oporteat, ordinem et modum vivendi in Concilio designat; et ab omnibus presbyteris ad Concilium pertinentibus facta promissione de secreto custodiendo circa ea, quibus reverentiae Concilio debitae aut personarum honori detrahi quomodolibet possit, et de fideli restitutione schematis decretorum eis traditi, concluditur Congregatio per orationem *Sub tuum.*

SESSIO PRIMA

Die vigesima nona septembris anni millesimi octingentesimi nonagesimi quinti, Dominica XVII post Pentecosten, incidente in festum Dedicationis sancti Michaelis Archangeli, hora nona ante meridiem, celebrata fuit in Ecclesia Metropolitana prima Sessio, prout praecedenti die in Congregatione privata Episcoporum indictum fuerat.

Convenerunt omnes de Concilio in dictae Ecclesiae sacristiam, unde ad Cathedralem processerunt iuxta ordinem praecedentiae iam praefinitum, et servatis Pontificalis regulis et praescriptionibus.

Aderant huic primae Sessioni frequens clerus, Maioris et Minoris Seminarii alumni, praecipui civitatis magistratus et magna multitudo plebis, concursu suo et ipso oris habitu, testantes quo studio et qua veneratione Synodum hanc suorum Episcoporum primam prosequerentur.

Missam de Spiritu Sancto solemni ritu celebravit Illmus et

Rmus Metropolita, cui ad altare adstiterunt : Sacerdos assistens, Admodum Reverendus canonicus Florentius Bourgeault, vicarius generalis ; diaconi assistentes, RR. DD. Paulus LeBlanc et Zoticus Racicot, canonici titulares Ecclesiae Metropolitanae ; diaconus et subdiaconus missae, RR. DD. Laurentius Cousineau, canonicus titularis, et Ios. T. Savaria, canonicus honorarius eiusdem Ecclesiae Cathedralis Marianopolitanae.

Missa finita, sermonem de Conciliorum apostolica origine et divina auctoritate ad Synodum et ad populum habuit Rmus DD. Medardus Emard, Episcopus Campivallensis.

Persolutis deinde psalmis precibusque pro aperienda Synodo praescriptis, institerunt Promotores ut Concilium hoc Provinciale primum Marianopolitanum, auctoritate legitima et rite convocatum, hoc ipso die inciperet iamque inceptum esse declararetur. Quorum precibus annuens Illmus Praeses, decretum *De aperienda Synodo* Secretario legendum tradidit ; quod quum a Secretario perlectum esset, et a Patribus, nemine dissentiente, probatum, Illmus Praeses initium Concilio fieri atque iam factum esse pronuntiavit.

Eadem ratione decreta *De modo vivendi in Concilio*, *De praeiudicio non afferendo*, *De non discedendo*, *De professione Fidei*, perlecta et probata sunt.

Post emissionem Fidei professionis a Patribus, iuxta formulam a Pio IV et Pio IX praescriptam, ad instantiam Promotorum indicta fuit Sessio secunda pro sequenti dominica, ita tamen ut ad alium diem transferri vel prorogari possit, si id Patres utile iudicaverint.

Tunc solemni benedictione ab Illmo Praeside concessa, Synodales per breviorem viam redierunt ad palatium.

SESSIO SECUNDA

Die sexta mensis octobris anni millesimi octingentesimi nonagesimi quinti, in dominicam SSmi Rosarii incidente, prout in Sessione prima indixerant Patres, hora matutina nona, in Ecclesia Metropolitana, celebrata fuit Sessio secunda Concilii. Ex sacristia ad Cathedralem processerunt Patres et Concilii adiutores, eo ordine qui statuitur in decreto *De modo vivendi in Concilio*, parati omnes iuxta ea quae praescripta fuerant in congregatione prima generali de paramentis induendis.

Huic Sessioni aderat plebis christianae confertissima frequentia pietatem religionemque prae se ferens.

Missam de SSmo Rosario celebravit Rmus Episcopus Sherbrookiensis ad faldistorium, Metropolita et aliis Patribus cappis indutis.

Missa finita, concionem habuit de SSmi Rosarii devotione Reverendus P. Duchaussoy, prior Fratrum Praedicatorum apud Sanctum Hyacinthum.

Inde recitatis precibus psalmisque praescriptis, institerunt Promotores ut promulgarentur decreta ab ultima Sessione publica in privatis Episcoporum congregationibus sancita. Iubente igitur Praeside, Secretarius et Vice-Secretarius alternatim clara voce perlegerunt titulos decretorum ut sequuntur :

EX TITULO I

De fide et doctrina

DECRETUM I. — De Deo creante.
» II. — De Deo revelante.
» III. — De Ecclesia.
» IV. — De primatu et infallibili Magisterio Romani Pontificis.
» V. — De Summi Pontificis civili Principatu.
» VI. — De Sacra Scriptura.
» VII. — De iuribus Ecclesiae.

EX TITULO II

De personis ecclesiasticis

DECRETUM I. — De Episcopis.
» II. — De Sede episcopali vacante.
» III. — De Parochis et aliis animarum curam gerentibus.
» V. — De confessariis Monialium.
» VI. — De incardinatione presbyterorum extraneorum.
» VII. — De iis a quibus Fidei professio est emittenda.
» VIII. — De residentia.
» IX. — De praedicatione.
» X. — De obedientia praesulibus praestanda.

EX TITULO III

De Regularibus

EX TITULO IV

De congregationibus Sororum Religiosarum

Decretum II. — De bonorum temporalium administratione.
» III. — De servando decreto « Quemadmodum ».
» IV. — De novis devotionibus.
» V. — De Sororum Religiosarum ab Ordinario dependentia.

EX TITULO V

De cultu

Decretum I. — De cultu divino.
» II. — De Reliquiarum cultu.
» III. — De ecclesiarum decore.
» IV. — De Dominicis et festis de praecepto.
» V. — De Solemnitatibus.
» VI. — De cantu et musica in ecclesiis.

EX TITULO VI

De Sacramentis

Decretum I. — De sacramentis in genere.
» II. — De Baptismo.
» III. — De Confirmatione.
» IV. — De patrinis in Confirmatione.
» V. — De Eucharistia.
» VI. — De sacramento Poenitentiae.
» VII. — De casibus reservatis et eorum absolutione.

EX TITULO VII

De educatione Clericorum

EX TITULO VIII

De iuventute erudienda

EX TITULO IX

De veritate catholica propugnanda et servanda

DECRETUM II. — De libris ephemeridibusque improbis.

» III. — De scriptoribus catholicis.

» IV. — De examine et impressione librorum.

EX TITULO X

De diversis malis vitandis

DECRETUM I. — De societatibus vitandis.

» II. — De periculis morum.

» III. — De luxu.

» IV. — De modis prohibitis pecunias ad pias causas colligendi.

» V. — De blasphemia vitanda.

» VI. — De iuramento.

» VII. — De usura.

» VIII. — De peccatis contra charitatem et iustitiam in litibus.

» IX. — De electionibus politicis et administrativis.

» X. — De conventibus publicis prope ecclesias non habendis.

» XI. — De praescriptione.

» XII. — De procurantibus abortum.

» XIII. — De medicorum obligationibus quoad animas aegrotantium.

Patrum deinde rogata sententia, decreta omnibus placuerunt et confirmata fuerunt.

Indicta est Sessio tertia et ultima ad diem nonam octobris, feriam quartam, et finem Sessioni imposuit Illmus Praeses benedictione solemni omnibus prius impertita.

SESSIO SOLEMNIS TERTIA ET ULTIMA

Die nona mensis octobris, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quinto, feria quarta, hora matutina nona, prout indictum fuerat, habita fuit in Ecclesia Metropolitana, servatis servandis, Concilii Provincialis Marianopolitani primi ultima Sessio, praesentibus omnibus Concilii Patribus, praeter Rmum Abbatem Monasterii Cisterciensis Dominae Nostrae a Lacu ad Duos Montes, de licentia Illmi et Rmi Metropolitae absentem, nec non omnibus Theologis, Canonistis et Officialibus Concilii.

Finita Missa solemni, quae a Rmo Episcopo Campivallensi fuit celebrata, sermonem ad populum, qui frequens convenerat, habuit Rmus Episcopus Sherbrookiensis de divina missione Apostolorum eorumque successorum.

Post concionem, instantibus Concilii Promotoribus, ad mandatum Illmi et Rmi Praesidis, a Secretariis lecta sunt varia capita decretorum, ut sequitur :

EX TITULO I

De fide et doctrina

DECRETUM VIII. — De vera et falsa libertate.

EX TITULO II

De personis ecclesiasticis

DECRETUM IV. — De vicariis parochorum.

EX TITULO VI

De Sacramentis

DECRETUM XIV. — De sacramento Ordinis.

» XV. — De proprio Episcopo et literis testimonialibus quoad ordinationes.

» XVI. — De sacramento Matrimonii.

» XVII. — De catholicis qui, ad praestandum matrimonialem consensum, coram acatholico ministro se sistunt.

» XVIII. — De matrimoniis mixtis.

» XIX. — De divortio.

» XX. — De causis matrimonialibus.

EX TITULO VII

De educatione clericorum

DECRETUM II. — De clericis in maioribus seminariis informandis.

» III. — De collegio Canadensi Romae.

» IV. — De scientia ecclesiastica promovenda

EX TITULO VIII

De iuventute erudienda

DECRETUM V. — De scholis puerorum.

» VI. — De domestica puerorum educatione.

EX TITULO X

De diversis malis vitandis

EX TITULO XI

De operibus zeli et pietatis

EX TITULO XII

De bonis temporalibus Ecclesiae

DECRETUM I. — De administratione bonorum ecclesiarum.
» II. — De decimis.
» III. — De quarta funerali.
» IV. — De fabricarum consuetudinibus et parochialibus conciliis.
» V. — De usu domus parochialis et usufructu fundi beneficio curiali adnexi.

EX TITULO XIII

De foro ecclesiastico et de officialitatibus

DECRETUM I. — De foro ecclesiastico et de officialitatibus.
» II. — De immunitatibus ecclesiasticis.

EX TITULO XIV

De sepultura ecclesiastica

DECRETUM I. — De sepultura et coemeteriis.
» II. — De sepultura ecclesiastica deneganda, vel non, propter omissionem communionis paschalis.

Quae decreta, cum a Patribus fuerint probata, gratiae Deo actae sunt.

Deinde, ad instantiam Promotorum, de mandato Illmi

Praesidis, nominatim vocati sunt ab uno e Secretariis ii omnes qui Concilio adesse tenebantur ; qui omnes reipsa aderant, praeter Rmum Abbatem Monasterii Cisterciensis Nostrae Dominae a Lacu ad Duos Montes, de licentia Illmi Metropolitani absentem. Et statim, instantibus iterum Promotoribus, mandavit Praeses alta voce perlegi decretum *De subscriptione*. Quo perlecto, de moreque a Patribus probato, singuli Patres sua quisque manu decretis Concilii ad altare subscripserunt.

Rite quibus absolutis, pro fine Concilii instantiam praebuerunt Promotores. Hoc cum omnibus placeret, Rmus Praeses finem Concilio factum esse declaravit, et proximam Synodum ad annum octingentesimum nonagesimum octavum super millesimum celebrandam esse.

Post haec Illmus Praeses *Te Deum* inchoavit choro alternis vocibus prosequente.

Hinc decantatae sunt ab uno e Secretariis, choro respondente, acclamationes quae sequuntur :

S. — Gratias Deo Omnipotenti, bonorum omnium auctori et Patri luminum !

R. — Gloria et honor Omnipotenti Deo Nostro, qui gaudium suum innovavit et magnificavit in cordibus nostris !

S. — Beatissimae Mariae, cuius glorioso nomine Nostra Provincia decoratur, laus et veneratio !

R. — Sancta Maria, Mater Dei, regna super nos ; regna, Mater nostra, super hanc Provinciam tibi consecratam ! Tuus est clerus, tuus est populus. Ab omnibus defende nos periculis, et perpetuum sentiant omnes iuvamen quicumque invocant tuum SSmum Nomen, o Virgo gloriosa et benedicta !

S. — Beatissimo Pontifici Leoni Papae XIII, feliciter regnanti, veritatis et iustitiae custodi integerrimo, pax, victoria, anni multi et aeterna memoria !

R. — Leoni, totius Ecclesiae Capiti ac vero Christi in terris Vicario, Deus vires addat et annos multiplicet ! Urbem et orbem videat in unitate compositos, spiritu novo ambulantes ad aeternae pacis tranquillitatem !

S. — Rmum Dominum Eduardum Carolum Fabre, huius Provinciae Metropolitanum et in hoc Concilio Praesidentem, rore gratiae suae perfundat Deus et ad gloriam aeternam reservet !

R. — Cum multis annis magnae gratiae ! Dominus retribuat operum eius mercedem ; immarcescibilem gloriam percipiat !

S. — Rmis Episcopis, quos Spiritus Sanctus in hac Synodo congregavit, anni multi, salutaris super gregem vigilantia, in laboribus constantia et omnia fausta !

R. — Deus, gratiarum largitor, infunde super pastores tuos spiritus tui abundantiam et corda eorum in aedificationem Ecclesiae tuae accende, ut gregem eis commissum ad aeterna tabernacula ducere valeant !

S. — Omnibus in hoc Concilio congregatis, pax vera et copiosa benedictio !

R. — Deus misereatur nostri et benedicat nobis !

S. — Clero istius Provinciae et universo Christi gregi, pax, salus et benedictio a Domino !

R. — Da pacem, Domine, in diebus nostris, et adversus diabolicos incursus atque haeresum omnium conatus illibatam

plebi tuae salutis doctrinam conserva : confirma in virtute gressus eius et benignitatis tuae perpetuum illi rorem infunde !

S. — Civitati Marianopolitanae et omnibus civibus eius tranquillitas et omnimoda felicitas !

R. — Piis ministrorum tuorum hospitibus, Domine, abundantissima superveniat tuae pietatis effusio et fratrum omnium, sub uno Pastore eodemque Patre, in fide unitas et charitatis perfectio !

S. — Omnibus nostrae regionis episcopis, presbyteris, religiosis et fidelibus defunctis qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis !

R. — Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis !

S. — Decretorum huius Concilii observantiam salutarem, omnes qui adsumus unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente beatissima Dei genitrice Virgine Maria, cum beatis Apostolis Petro et Paulo, beatis huius Provinciae Patronis, et omnibus Sanctis.

R. — Fiat, fiat ! Amen, amen !

Communicato deinde invicem inter Patres osculo pacis, Illmus Metropolita solemnem benedictionem impertitus est, et cantato per diaconum *Recedamus in pace*, omnes solemni ordine incedentes ad aedes archiepiscopales reversi sunt, laudantes Deum qui in Ecclesia sua facit mirabilia.

De mandato,

ALFREDUS ARCHAMBEAULT, Can.,
Concilii Secretarius.

DECRETA CONCILII

DECRETA CONCILII

DECRETA PRAEAMBULA

DECRETUM I

DE APERIENDA SYNODO

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti

Nos, Eduardus Carolus Fabre, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae Archiepiscopus, ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, ad laudem Salvatoris Nostri Iesu Christi, Filii Dei Unigeniti Patrique consubstantialis, qui, ut unus Dei et hominum mediator auctorque salutis nostrae constitueretur, pro nobis caro factus est ; invocato imprimis Beatissimae Virginis Mariae nomine sanctissimo ; Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ope confidentes, atque

Omnium Sanctorum, eorum praesertim quibus protegendae Ecclesiae huius Provinciae sunt concreditae, patrocinio suffulti ; de consensu ac consilio Illmorum et Rmorum Episcoporum Comprovincialium Nostrorum, statuimus ac decernimus hac ipsa die vigesima nona septembris inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium Provinciale, auctoritate Nostra Metropolitana rite indictum atque convocatum. Salvatorem interea ac Dominum N. I. C. humiliter deprecamur, ut, quod coepit, ipse perficiat, ac quaecumque tum ad nostram, tum ad populi et cleri aedificationem decernenda aut stabilienda cognoverimus, sancte et fideliter observari, sua opitulante gratia, largiatur.

DECRETUM II

DE MODO VIVENDI IN CONCILIO

Sacrosancti et oecumenici Concilii Tridentini [1] vestigiis insistens, agnoscensque cum Beato Iacobo Apostolo, quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, qui postulantibus a se sapientiam *dat omnibus affluenter, et non improperat* [2] eis, statuit et decernit haec Synodus provincialis omnes Christi fideles in hac Marianopolitana civitate degentes, in quorum gratiam simul ac totius Provinciae beneficium celebratur, exhortandos esse, prout exhortatur, ut se a peccatis adhuc commissis emendantes, exinde in timore

[1] Sess. II.

[2] Jac., I, 17, 5.

Domini ambulare, sanctis operibus instare, ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et Sacerdotibus hic in Domino legitime congregatis instanter orare studeant. Ipsos vero Episcopos et Sacerdotes commonitos vult ut laudibus Deo persolvendis assidue incumbant, atque singulis diebus, quantum fieri poterit, Sanctissimum Missae Sacrificium peragentes aut saltem mysteriorum celebrationi devote assistentes, pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et ceteris in sublimitate constitutis, ac pro omnibus hominibus, obsecrationes, orationes et postulationes fundant ex animo. Eosdem praeterea hortatur ut, memores bonam esse orationem cum ieiunio, singulis feriis sextis, in memoriam Dominicae passionis ieiunent, quotidieque mensa frugali utantur, ea spe freti Dominum universorum ipsi Synodo pacem, fidei augmentum, esse largiturum.

Et quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, iubet etiam illos et obsecratur in Domino, otiosas sermocinationes sedulo devitare, vitae innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento praefulgere, ita ut in omnibus illam, quae ministros mysteriorum Dei decet, honestatem prae se ferant.

Quum vero provincialis Synodus nihil habeat antiquius quam ut sacra Conciliorum Oecumenicorum Summorumque Pontificum decreta in suo robore custodiantur, nedum alterentur, monet eosdem Episcopos et Sacerdotes ea quam exactissime referre, adiectis solum opportunis explicationibus, ne puncto quidem unquam recedentes a mente Sanctae Romanae Ecclesiae, ceterarum omnium Ecclesiarum matris ac magistrae.

In sententiis vero proponendis, nullus audeat aut immodicis

verbis perstrepere, aut tumultuose agere, vanisve et obstinatis disceptationibus contendere ; sed omnes, in Dei gloriam et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportuno ordine servato, proferant opiniones tam in actionibus privatis quam in publicis ; quidquid tandem dixerint, ita mitissima verborum prolatione temperent, ut nec audientium aures offendantur, nec compotis iudicii rectitudo perturbato animo inflectatur. Denique omnibus edicit ut diurnum vivendi ordinem, in prima Congregatione generali statutum et promulgatum, accurate ac religiose servent.

DECRETUM III

DE PRAEIUDICIO NON AFFERENDO

Morem a Sancto Tridentino Concilio sancitum documento sibi adhibens, decernit Synodus ac declarat si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli proptera praeiudicium generari, nullique ius novum acquiri. [1]

DECRETUM IV

DE NON DISCEDENDO

Universis, qui iure vocati ad hoc Concilium Provinciale convenerunt, interdicimus in virtute sanctae obedientiae, ne,

[1] Conc. Trid., sess. II.

antequam ipsum Concilium dimissum fuerit, discedere, nisi ob gravem causam, petitaque et impetrata a Patribus facultate, praesumant.

DECRETUM V

DE SYNODI OFFICIALIBUS

Quoniam opus est ut quidam huius Synodi ministri seu Officiales designentur, qui Patribus in variis fungendis officiis praesto sint ; ideo, de ipsorum Patrum consensu, sequentes Synodi Officiales constituimus :

Promotorem : R. D. P. N. Bruchési, canonicum titularem Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, doctorem in sacra theologia et licentiatum in iure canonico.

Vice-Promotorem : R. D. Euch. Lussier, canonicum honorarium Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, parochum S. Clementis *de Beauharnois*, doctorem in iure canonico.

Secretarium : R. D. Alfredum Archambeault, canonicum titularem Metropolitanae Ecclesiae Marianopolitanae, cancellarium archidioecesis, doctorem in sacra theologia et in iure canonico.

Sub-Secretarium : R. D. Iosephum Amedaeum Lefebvre, rectorem Minoris Seminarii Sherbrookiensis, doctorem in iure canonico.

DECRETUM VI

DE VOCATIONE NOMINUM

Cum hodie, auspice Deo, haec Synodus Provincialis Marianopolitana feliciter sit inchoata, ut sacrorum Canonum praescripto fiat satis, assentientibus Concilii Patribus, decernimus ac mandamus, ut omnes tam Rmi Episcopi quam Presbyteri ad hanc Synodum accersiti et qui eidem iure vel consuetudine interesse debent, nominatim vocentur, absentium vero nomina describantur.

Placeat igitur Rmis Patribus ceterisque Synodalibus, vocato eorum nomine, respondere : *Adsum.*

DECRETUM VII

DE PROFESSIONE FIDEI

Quum sollicitudinis pastoralis primum et praecipuum munus in eo esse debeat, ut integra et illibata servetur illa catholica fides quam tenet et colit Sancta Romana Ecclesia ; quum etiam S. C. de Propaganda Fide, die 8 Aprilis 1876, responderit : « jamdiu invaluisse laudabilem consuetudinem, qua episcopi, in synodis provincialibus, etiamsi aliis iam interfue-

rint, Fidei professionem emittant, et hortandos praesules ecclesiasticae Provinciae Quebecensis, ut eamdem consuetudinem in « posterum servare studeant ; » haec Synodus, Patrum exemplis adhaerens, ante omnia statuit et decernit praemittendam esse sanctae et catholicae Fidei professionem iuxta formulam a Pio IV et Pio IX praescriptam. Quam professionem ab omnibus et singulis Patribus palam ac publice iubet et mandat emitti.

Professio orthodoxa Fidei iuxta formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX praescriptam

Ego N...... firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem ; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem

peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius subtantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Pur-

gatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse : eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse ; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse ; illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

De servandis decretis septem priorum Conciliorum Provinciae Quebecensis

Priusquam Romano Pontifici Provinciam ecclesiasticam Marianopolitanam per Quebecensis Provinciae divisionem instituere placuerit, septem Provinciales Synodi celebratae sunt, quibus inest laus pietatis et prudentiae, doctrinae disciplinaeque studium, ac singularis erga sanctam Sedem Apostolicam fides et observantia. Quarum Synodalia decreta quum a Sancta Sede recognita, iam in omnibus dioecesibus nostris usu vigeant et magnam vim habuerint hactenus et habere possint in posterum ad abusus evellendos, mores informandos religionemque provehendam ; declaramus itaque et decernimus omnia quae a septem prioribus Conciliis Provinciae Quebecensis constituta sunt, *prout ab hoc nostro Concilio innovantur*, ab omnibus tam clericis quam laicis sedulo esse servanda.

TITULUS I

DE FIDE ET DOCTRINA

Nobis, in nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, ad primum Provinciae Marianopolitanae Concilium celebrandum canonice congregatis, visum est totum huius Concilii negotium fidei brevi quadam principiorum expositione inchoare. Itaque plene et integre credimus et confitemur quidquid ut divinitus revelatum credendum Ecclesia, sive solemni iudicio, sive ordinario atque universali magisterio, proponit. Nominatim autem, una cum totius orbis Episcopis, tum utramque Constitutionem *Dei Filius* et *Pastor aeternus* in Concilio Vaticano promulgatam, tum Literas Encyclicas Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII, quibus quid servandum sit suprema sua auctoritate ostendit, imprimis Literas *Quod Apostolici muneris* de socialistarum et communistarum erroribus, *Arcanum* de matrimonio christiano, *Diuturnum* de principatu politico, *Immortale Dei* de civitatum constitutione christiana, *Rerum novarum* de conditione opificum, *Providentissimus Deus* de studiis Sacrae Scripturae, exultanti animo amplexi sumus et amplectimur.

DECRETUM I

DE DEO CREANTE

Quae autem in Synodo Vaticana definita sunt breviter complecti volentes et ab eis quae in Constitutione *Dei Filius* ad Deum creantem spectant initium sumentes, confitemur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, intellectu et voluntate omnique perfectione infinitum, simplicem omnino et incommutabilem, in se et ex se beatissimum.

Quem adoramus, unam singularem substantiam spiritualem, quemque confitemur nec essentiae suae evolutione fieri omnia, nec ens esse universale quod sese determinando constituat universa, sed re et substantia a mundo distinctum.

Credimus eum solum, non necessario, sed liberrima voluntate, ad manifestandam perfectionem suam, res omnes extra seipsum, et spirituales et materiales, totam earum substantiam ex nihilo producendo, creavisse.

Confitemur denique, Deum universa, quae condidit, providentia sua tueri et gubernare. *Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius* [1], ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt [2].

---

[1] Hebr., IV, 13.

[2] Vide in App. Conc. Vat., Const. *De Fide*.

DECRETUM II

DE DEO REVELANTE

Deum, rerum omnium principium et finem, naturali quidem rationis lumine, per ea quae facta sunt, certo posse cognosci ; attamen placuisse eius sapientiae et bonitati alia, eaque supernaturali via, seipsum suaque decreta humano generi revelare, cum Sancta Matre Ecclesia tenemus et docemus.

In praesenti generis humani conditione tribuendum quidem est divinae revelationi ut multa, quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt, ab omnibus certo, facile et absque errore noscantur. Non ideo tamen Revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina quae humanae mentis intelligentiam omnino superant.

Licet divina haec revelatio certis signis, iisque omnium captui accommodatissimis, credibilis reddatur, fidem tamen liberam esse confitemur, eamque vel nondum charitate perfectam sine gratia concipi non posse.

Agnoscimus vera ac proprie dicta mysteria quae ratio, quantumvis exculta, ex naturalibus principiis nunquam demonstrare, immo neque intelligere potest.

Etsi fides sit supra rationem, nullam tamen inter utramque veram dissensionem intercedere posse affirmamus, quum idem Deus et fidem infuderit et homini rationem indiderit, neque

verum unquam vero contradicat. Negamus igitur ullam doctrinae fidei oppositam assertionem legitime posse ex scientiae rationisve principiis certis concludi.

Quum fides et ratio sibi mutuam ferant opem, asserimus Ecclesiam humanarum artium et disciplinarum culturae non modo non obstare, verum etiam illas tanquam a Deo scientiarum Domino profectas et ad ipsum, iuvante ipsius gratia, perducentes, si rite pertractentur, accipere et fovere.

Negamus denique fieri unquam posse ut alicuius dogmatis sensus, ab Ecclesia semel receptus et declaratus, in alium, secundum progressum scientiae, immutetur. [1]

DECRETUM III

DE ECCLESIA

Ut officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quo fit ut ipsa, veluti signum levatum in nationes [2], et ad se

[1] Vide in App. Conc. Vat., Const. *De Fide.*

[2] Is., XI, 12.

invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur.

Huic autem visibili Ecclesiae a Christo institutae, definita potestate et constitutione instructae, mirabilique fidei, regiminis et Sacramentorum unitate in unum indivisibile mysticum ipsius Christi corpus coalescenti, ita omnibus incumbit necessitas inhaerendi ut extra eamdem Ecclesiam salvus fieri nemo possit; illique ipsi qui inculpabiliter extra eius corpus actu versantur, nonnisi ad eius animam per fidem et charitatem pertinendo, spem salutis habere queunt.

Impium igitur atque ipsi rationi adversum systema, omnium religionum indifferentiam praestituens, docensque aeternae salutis aditum cuilibet religioni aequa conditione patere, indecorumve esse nec ad salutem necessarium deserere eam, in qua quis forte natus vel institutus sit, falsam religionem, ex imis visceribus detestamur et repudiamus.

Pariterque reiicimus propositionem in Syllabo damnatam, protestantismum non esse aliud quam diversam verae eiusdem christianae religionis formam, in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est.

Credimus Ecclesiam in ea, quam a Christo accepit, constitutione immutabilem usque ad consummationem saeculi esse perseveraturam; a qua immutabilitate excideret si unquam, in salutari fidei veritate morumve doctrina exponenda, aut falli aut fallere posset.

Ecclesiae porro infallibilitatem non modo ad universum Dei verbum revelatum pertinere tenemus, sed etiam ad ea omnia, quae, licet in se revelata non sint, sunt tamen eiusmodi sine quibus ipsum Dei verbum aut tuto conservari, aut defini-

tive credendum proponi, aut contra errores valide defendi nequeat.

Duplicem demum in Ecclesia potestatem agnoscimus, unam ordinis, alteram iurisdictionis, eamque non solum fori interni sed etiam externi, legiferam, iudiciariam et coercitivam, libere et a quavis dominatione independenter exercendam tum legibus conscientiam obligantibus, tum iudiciis, tum salutaribus poenis in sontes etiam invitos statuendis.

Illam tandem veram matrem et magistram, Ecclesiam Christi, aliam non esse confitemur praeter unam, et apostolicam, sanctam, catholicam Romanam Ecclesiam.

DECRETUM IV

DE PRIMATU ET INFALLIBILI MAGISTERIO ROMANI PONTIFICIS

Confitemur primatum non honoris tantum, sed et verae propriaeque in universam Ecclesiam iurisdictionis, beato Petro Apostolo promissum his verbis : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...... Et tibi dabo claves regni coelorum* [1], eidem immediate et directe fuisse collatum a Domino post resurrectionem suam ipsi uni dicente : *Pasce agnos meos..... Pasce oves meas* [2].

Tenemus quoque beatum Petrum ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, in primatu suo super universam Ecclesiam successores habere perpetuos, quos saeculis omnibus

[1] Matth., XVI, 18, 19.

[2] Ioan., XXI, 15, 17.

constanter innotuit Episcopos esse Sedis Romanae ; Romanam proinde Ecclesiam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum. et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cuiusvis ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. Ex qua suprema Romani Pontificis potestate ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae...... Docemus etiam et declaramus eum esse iudicem fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri. Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio, neque ab iudicio RR. PP. ad Oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem R. Pontifice superiorem licere appellare.

Illud tandem divinitus revelatum dogma ex animo confitemur « Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, « cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere « fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam « de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, « per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea « infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse « voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex « sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse »[1].

[1] Vide in Append. Conc. Vat., Const. *Pastor Aeternus*.

DECRETUM V

DE SUMMI PONTIFICIS CIVILI PRINCIPATU

Universis catholici orbis Episcopis assentientes, agnoscimus ac palam asserimus temporalem potestatem, qua divinae providentiae consilium Romani Pontificis per tot saecula dignitatem sepserat, non tantum legitimam atque institutioni Christi et Evangelii doctrinae consentaneam, sed in praesentibus rerum adiunctis necessariam esse Sedi Apostolicae, quo liberius ac tutius potestatem spiritualem toto orbe exerceat.

Quamobrem temerarium atque impium eorum facinus qui civilem Romani Pontificis principatum evertere sunt ausi, toto animo reprobantes, conditionem lugemus ad quam Summus Ecclesiae Pastor multis abhinc annis est adductus, ut Christi Vicario indignam, et contrariam libertati apostolici muneris, quo qui fungitur nulli unquam terrenae potestati subesse potest.

Interea manifestum facere volumus Nos gregesque nostros semper fore numerandos inter illos Christi fideles, qui, donec Romani Pontificis iustis vindiciis et eius postulationibus satisfactum fuerit, nunquam pacato animo vivent nec tranquillo; sacerdotes quoque et fideles, filios nostros dilectissimos, simul obtestamur ut sine intermissione, et integro cordis affectu, orent nobiscum pro sanctissimo Domino Nostro Pontifice Romano « ut eum Deus Spiritu Sancto suo in salutari gratia « conservet, dirigat ac defendat; inclinet ad preces humili- « tatis nostrae aures misericordiae suae, et in protectione eius-

« dem sanctissimi Pontificis, antiqua brachii sui operetur « miracula ; ita ut hostium audacia et impietate dextrae « divinae potentia prostratis, pacis tranquillitate cum « Ecclesia sancta cuius pastor supremus est, fruatur, et in lau- « dibus misericordiae eius incessabili exultatione laetetur. « Amen ».

DECRETUM VI

DE SACRA SCRIPTURA

Supernaturalem revelationem tum sine scripto traditionibus contineri, quae Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, tum scriptis libris, qui sacri et canonici nuncupantur, eo quod Deum habeant auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sint, firma fide tenemus et profitemur.

Quoniam autem *omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*[1], clericis nostris et sacerdotibus Sacrarum Scripturarum studium, non solum propter earum praestantiam, sed etiam imprimis ob multiplex utilitatum genus quae ex eo sunt manaturae, magnopere commendatum volumus. Postquam enim Hierony-

[1] II Tim., III, 16, 17.

mus disertis verbis affirmaverat: « Ignorationem Scripturarum « esse ignorationem Christi »[1], verissime edixit: « Qui Sacrarum « Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum « Ecclesiae ».

Grati animi sensu agnoscentes et pro certo habentes Ecclesiae Christi nullum unquam defuisse Providentiae modum, quo in filios suos divinae Scripturae fontes salutariter derivaret, volumus, ut in exegesi biblica, textus et exemplar adhibeatur versio Vulgata, quam Concilium Tridentinum « in publicis « lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus « pro authentica » habendam decrevit[2], quin tamen idcirco reliquae versiones, a christiana antiquitate laudatae et usurpatae, maximeque codices primigenii, negligantur.

Praedicamus catholici Scripturarum interpretis munus esse praecipuum, ut quorum Scripturae testimoniorum sensus, aut per ipsos sacros auctores, aut per Ecclesiam declaratus sit, hunc fideliter retineat, in caeteris catholicae doctrinae tanquam supremae et optimae regulae sese adamussim conformare studeat, sanctorumque Patrum vestigia reverenter persecutus, ipsorum fruatur laboribus intelligenti delectu.

Omnem igitur Scripturae interpretationem, quae inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes constituat, vel quae alicui doctrinae ab Ecclesia receptae adversetur, tanquam ineptam et falsam reiicimus. Interpretes quoque qui, ignoratis aut despectis catholicorum commentariis, heterodoxorum libros praeoptarent, censemus esse reprehendendos, quum satis constet genuinum et incorruptum sacrarum Literarum sensum extra

---

[1] In Is. Proleg.

[2] Sess. IV.

Ecclesiam neutiquam repertum iri. Temerarium itidem artificium eorum qui falsae cuiusdam critices praetextu, ex solis internis rationibus, de origine, integritate et auctoritate libri cuiuspiam, etiam sacri, diiudicare praesumunt; ac vesanum illorum studium, qui libris sacris profanarum disciplinarum nomine inscitiae notam inurere maligne contendunt, admodum vituperamus.

Fallaciam pariter detestantes eorum qui inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes coangustare, aut eam ad res dumtaxat fidei et morum limitare, vel etiam ipsi sacro auctori errores quosdam imputare non erubescunt, credimus et solemniter confitemur errorem quemlibet non minus inspirationi divinae quam ipsi Deo, summae et incommutabili Veritati, repugnare. Docet enim Sancta Sedes, et Sancti Patres ratum semper habuere, et nos constanti animo confitemur Deum ita scriptores inspiratos supernaturali virtute ad scribendum excitasse et movisse, ita eis assistentiam praestitisse « ut ea omnia « eaque sola quae ipse iuberet, et recta mente conciperent, et « fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent » [1].

DECRETUM VII

DE IURIBUS ECCLESIAE

« Ecclesia (aiebat Pius IX in Allocut. *Multis gravibusque*, « 17 dec. 1860) ut vera et perfecta societas a Divino Auctore suo

[1] Vide in App. Lit. Enc. Leonis XIII *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893.

« fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli « etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac iura « ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. Nec « sane aliter indicant solemnia illa Christi Domini ad Apostolos « verba : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes « ergo, docete omnes gentes...* ; *docentes eos servare omnia quaecum- « que mandavi vobis* » [1].

Huic porro sanctissimae de Ecclesiae libertate ac iuribus doctrinae eo firmiori animo incumbere atque inhaerere fidelium omnium officium est, quo magis eadem impeti iura atque violari contingit. Quae ut altius mentibus insideat doctrina, nonnullas heic excribimus propositiones in Syllabo adiecto Encyclicis Literis « *Quanta cura* » proscriptas, quas çeu damnatas ab omnibus oportet repudiari fidelibus.

« Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non « debet absque civilis Gubernii venia et assensu ». (Prop. xx).

« Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a « iure civili ortum habuit ». (Prop. xxx).

« Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, « iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ». (Prop. xxxix).

« Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit « potestas indirecta negativa in sacra ; eidem proinde competit « nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius appellationis « quam nuncupant *ab abusu* ». (Prop. xli).

« Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad reli- « gionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de « instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscien-

---

[1] Matth., xxviii, 18, 20.

« tiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de « divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus « ad ea suscipienda necessariis decernere ». (Prop. XLIV).

« Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae « ratio, quae sit a catholica Fide et ab Ecclesiae potestate « seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac « terrenae societatis vitae fines tantummodo vel saltem primario « spectet ». (Prop. XLVIII).

Si enim fideles Christum docentem in Ecclesia sequamur, non ambulamus in tenebris, quantacumque sit obscuritas noctis; si huic Petrae, quam Christus posuit columnam et firmamentum veritatis, adhaerere corde amanti perseverabimus, non movebimur, nec circumferemur sicut fluctus maris, omni vento doctrinae [1], quaecumque sit rabies tempestatis, sed e contra, ab omni periculo naufragandi circa fidem remoti [2] et lumine veritatis circumdati, in pace et bonis operibus portum aeternae felicitatis attingemus.

DECRETUM VIII

DE VERA ET FALSA LIBERTATE

Dolemus pessimos circa libertatem errores, in christiana republica passim grassantes, etiam apud nos, iam a pluribus annis, in dies crevisse; qui ut omnino deleantur mandamus

[1] Iac., I, 6.

[2] I Tim., I, 19.

ut oves suis pastoribus, pastores autem Vicario Christi et eius doctrinae, firmissime adhaereant.

« Non est dubitandum, inquit SS. Pater Pius IX, quin per « tristissima haec Ecclesiae tempora, omnes Ecclesiae hostium « machinationes eo spectent, ut deleant illius constitutionem et « vincula frangant quae populos Episcopis, Episcopos devinciunt « Christi Vicario. Observantia enim haec indubia est tessera « filiorum Ecclesiae ; et ipsa constituit inexpugnabilem vim « illam unitatis, quae sola retundere potest osorum illius furo- « rem, dolum, audaciam.

« Sed quamquam filii saeculi prudentiores sint filiis lucis, « eorum tamen fraudes et violentia minus fortasse proficerent, « nisi multi, qui catholicorum nomine censentur, amicam eis « manum porrigerent. Non desunt enim, qui, veluti iugum cum « illis ducturi, societatem nectere conantur inter lucem et « tenebras ac participationem inter iustitiam et iniquitatem per « doctrinas quas dicunt *catholico-liberales*, quaeque perniciosis- « simis fretae principiis, laicae potestati spiritualia invadenti « blandiuntur animosque in obsequium, aut saltem tolerantiam « iniquissimarum legum perinde inclinant, ac si scriptum non « esset : *Nemo potest duobus dominis servire.* Hi vero periculosio- « res omnino sunt et exitiosiores apertis hostibus, tum quia « inobservati, et fortasse etiam nec inopinantes illorum conatibus « obsecundant ; tum quia intra certos improbatarum opinionum « limites consistentes, speciem quamdam probitatis et inculpabi- « lis doctrinae praeferunt, quae imprudentes alliciat conciliatio- « nis amatores, et decipiat honestos, qui apertum aversarentur « errorem ; atque ita dissociant animos, unitatem discerpunt, « viresque coniunctim opponendas adversariis infirmant. Eorum « tamen insidias facile vitare poterunt veri Ecclesiae filii, si prae

« oculis habeant divinum monitum : *Ex fructibus eorum cognos-* « *cetis eos* ; et si animadvertant ipsos stomachari quidquid para- « tam, plenam, absolutamque devotionem sapit placitis ac monitis « Sanctae Sedis Apostolicae : vix aliter de ipsa loqui quam de « romana curia ; imprudentiae passim vel inopportunitatis insi- « mulare eius acta ; ultramontanorum aut Iesuitarum appella- « tionem affingere studiosioribus et obsequentioribus eius filiis ; « inflatosque superbiae vento prudentiores se illa censere cui « peculiare et perenne promissum fuit divinum auxilium. Qua- « propter omnes instanter hortamur ut ab his doctrinis catholico- « liberalibus a Summo Pastore reprobatis sollicite praecaveant « ut semper meminerint ad Romanum quoque Pontificem, qui « divina vice fungitur in terris, pertinere quoad ea quae fidem, « mores, Ecclesiae regimen spectant, illud quod de se ipso « Christus affirmavit : *Qui mecum non colligit, spargit* »[1].

Praeclaras itidem Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII encyclicas de civitatum constitutione christiana literas quae incipiunt *Immortale Dei*, doctrinamque in ipsis expositam propensissima voluntate suscipimus. Ex quibus aliquot, quae sequuntur, capita decerpere et hoc loco singulariter adnotare visum est, quo opportunius nostrae aetatis erroribus occurratur.

1. Natura et ratio, quae singulos homines iubent Deum colere, civilem etiam communitatem eadem lege adstringunt. Religionis igitur curam abiicere, modumve, quo Deus ipse se coli velle demonstravit, non adhibere, civitates citra scelus minime possunt.

---

[1] Ex responso Pii IX, Praesidi et Sodalibus Circuli Sancti Ambrosii Mediolanensis, 6 martii 1873.

2. Prudenter et sincere iudicanti, non difficulter constat quaenam sit vera religio, quippe quae argumentis permultis atque illustribus ea esse probetur unica, quam Iesus Christus ipsemet instituit, et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

3. Ipse Deus humani generis procurationem inter duas partitus est potestates, ecclesiasticam videlicet et civilem, quarum utraque est in suo genere maxima. Quum vero utriusque imperium eosdem habeat sibi subiectos, necessario intercedit quaedam inter eas ordinata colligatio ; quae quidem, si ad uniuscuiusque potestatis naturam respiciatur, eiusmodi esse debet ut quidquid in rebus humanis ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, id omne in potestate arbitrioque Ecclesiae constitutum existat, cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, civili auctoritati subiecta maneant.

4. Principia, ut aiunt, novi iuris, non solum a christiano, verum etiam ab ipso naturali iure discrepantia, repudiamus, ut quae pronuntiant hominem unumquemque ita esse sui iuris ut nullo modo alterius auctoritati sit obnoxius ; vel asserunt civitatem, nulla officii ratione Deo obstrictam, non debere uni religioni, quae sola vera est, maxime favere, sed singulis ipsarum aequabilitatem iuris tribuere posse ; aut unicuique licere dicunt religionem sequi quam ipse malit, vel etiam omnino nullam, si nullam probet ; ex quibus pessima eruuntur consectaria ; exlex nempe cuiuslibet conscientiae iudicium, impiae de Deo colendo vel non colendo sententiae, infinita quoque tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

5. Istis autem principiis cohaerentem agendi rationem prorsus esse damnandam arbitramur, qua nimirum nomini

catholico par cum societatibus alienis vel etiam inferior locus tribuitur ; legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio ; ad iurisdictionem civilem trahuntur matrimonia christianorum, summoventur possessiones clericorum, et saepe sacram inter et civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus alteram alteri succumbere.

6. Libertas, prouti hominis perfectio est, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari, nam et mentis corruptio est falsis opinionibus adsentiri, et voluntatis perversio malum adsumere. Quaecumque ergo veritati virtutique adversantur in lucem prodere et hominum conspectui subiicere, iniquum est ; ea vero legum tutela munire, scelestum.

Ecclesiam ab actione vitae, a legibus, ab adolescentium institutione, a societate domestica excludere, magnus et perniciosus est error ; eam vero in suorum officiorum munere potestati civili subiicere velle, magna quidem iniuria, magna temeritas est.

7. Quanqu[illegible] divini cultus genera eodem iure esse ac veram religione[illegible]sia probare nequit ; non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in civitate locum.

8. Libertatem illam, quae legitimae potestati debitam obedientiam exuit, Ecclesia damnat ; germanam contra atque expetendam libertatem eam esse declarat quae, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit ; si publice, civibus sapienter praeest, remque publicam ab alieno arbitrio defendit.

9. Quod autem inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum

invidere disciplinae,et quaecumque horum temporum ingenium peperit, ea omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum ; improbat nefaria seditionum studia ; sed quia omne quod verum est a Deo proficisci necesse est, quidquid accedat ad scientiae fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia, semper accedet.

Honesta aetatis nostrae atque utilia incrementa profecto non sunt repudianda ; rerum autem publicarum firmiora sint fundamenta exoptandum, idque incolumi semper populorum germana libertate, cuius mater et custos optima veritas est : *Veritas liberabit vos* [1].

[1] Ioan., VIII, 32.

TITULUS II

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

DECRETUM I

DE EPISCOPIS

§ I — De dignitate et auctoritate Episcoporum

Magna certe sublimisque est Episcoporum dignitas ! Hanc Sancti Patres, Doctoresque miris encomiis extulerunt, non equidem alicuius adulationis causa, sed ipsius Religionis intuitu, quam Episcopis, veluti quodam fundamento, divina dispositione inniti cernebant. Episcopos enim esse Principes Ecclesiae, Apostolorum successores, ipsiusmet Christi legatos, passim et aperte docent.

Sed cum hisce luctuosis temporibus, non tantum dignitatem Episcoporum, sed et potestatem quae fluit ex plenitudine sacerdotii in eis residente, quidam hostes Ecclesiae temerario ausu aggressi fuerint, haec Synodus censet praeclara ea de re sacrosancti Concilii Tridentini verba in memoriam esse revocanda : « Si quis omnes Christianos promiscue novi Testa-

« menti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate « spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam « ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies « ordinata, confundere, perinde ac si, contra beati Pauli « doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evan- « gelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde, « sancta Synodus declarat, praeter caeteros ecclesiasticos gradus, « Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc « hierarchicum ordinem praecipue pertinere ; et positos, sicut « idem Apostolus ait, regere Ecclesiam Dei ; eosque presbyteris « superiores esse ; ac sacramentum Confirmationis conferre ; « ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere « ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris « ordinis nullam habent » [1].

Itaque Ecclesiae catholicae firmissimum dogma est, Episcopos presbyteris superiores esse non solum potestate ordinis, sed etiam iurisdictionis : nec eis ullo modo denegari potest ecclesiam suam regendi potestas, aut leges et statuta condendi, in iis quae iuri communi non adversantur.

§ II — De Episcoporum iurisdictionis origine et extensione

Praefatam episcoporum et ordinis et iurisdictionis potestatem non a coetu fidelium, neque a civilis societatis principibus, sed a Christo Deo, Ecclesiae auctore et capite, institutam esse, cum universa christiana antiquitate profitemur [illegible]sius tamen Christi verbis ad Petrum : *Pasce agnos meos... Pa[illegible] oves meas* [2]

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV.

[2] Ioan., XXI, 16, 18.

edocti, declaramus huiusmodi Episcoporum auctoritatem Romano Pontifici, ceu Christi in terris Vicario, subiacere, ita ut tam pastores quam fideles omnia in eum subordinationis et obedientiae officia praestare teneantur.

Hanc Episcopis divinitus collatam auctoritatem oportet ut tum clerici, tum reliqui Christi fideles, et ipsi observantissime colant, et ab aliis quoque colendam procurent. Considerent ergo quam graviter divinae ordinationi desint illi, qui licet catholicorum nomen prae se ferant,episcopalis tamen auctoritatis, ne ea libere exerceatur aut in suo vigore consistat, iura evertere vel minuere conantur ; aut saltem, si id consequi nequeant, Episcoporum famam dilacerant, eosque in suspicionem et odium multitudinis adducunt, aut demum Praesulum actus vel sententias ad forum saeculare, vel plebis iudicium deferunt. Hi omnes intelligant se nihil horum posse perpetrare quin gravissimae culpae reatum incurrant.

Audiant igitur quae a Sanctissimo D. N. Leone PP. XIII, in Epistola ad Turonensem Archiepiscopum, dilucide ac strenue edicta sunt.

« Liquet enimvero et perspicuum est duplicem hominum « esse in Ecclesia ordinem, alterum ab altero natura sua « distinctum, pastores et gregem, id est, rectores et multitudinem. « Prioris ordinis munus est docere, gubernare, moderari vitae « disciplinam, praecepta dare : alterius vero officium subesse, « obsequio praecepta sequi, honorem adhibere. Quod si, qui « subesse debent, partes eorum qui sunt superioris ordinis « sumant, illi non modo temere et iniuria faciunt, sed quantum « in ipsis est, ordinem ab auctore Ecclesiae Deo providentissime « constitutum funditus pervertunt. Si vero forte quisdam in « ipso episcoporum ordine reperiatur non suae satis memor

« dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur « deseruisse, nihil ipsi ob eam causam de potestate sua « decederet : et quamdiu communionem cum Romano Pontifice « retinuerit, profecto ex eius ditione liceret nemini observantiam « in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere in acta « episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad « privatos : verum ad eos dumtaxat attinet qui sacro in ordine « illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem maximum, « quippe cui Christus non agnos modo, sed oves quotquot ubique « sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua « conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem « Romanum deferre ; id tamen caute moderateque, quemad- « modum studium suadet communis boni, non clamitando aut « obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque « gignuntur, aut certe augentur ».

Haec porro sapientissime dicta regulam praebent, qua nullam aliam regioni nostrae nostrisque temporibus magis accommodatam dari posse censemus.

Quia vero ad gregis dominici procurandam atque fovendam salutem instituta fuit Episcoporum iurisdictio, hanc circa respectivos subditos ita extendi profitemur et declaramus, ut doctrinam, mores, divinum cultum, disciplinamque ecclesiasticam respiciat, atque secum ferat docendi, leges condendi, iudicandi puniendique ius. Agnoscimus autem talem, non doctrinalem tantum, at legislativam etiam, iudiciariam et coactivam potestatem Romano Pontifici, Episcoporum Episcopo, subesse ; huiusque esse ut, iure suo ordinario et supremo, tum eam extendat aut restringat, corrigat aut ad singulos quod pertinet tollat ; tum qualemcumque legem ab Episcopis, etiam in Concilio adunatis, latam, mutet aut abroget ; tum reformet

quodcumque iudicium, in quavis causa fidem, mores aut disciplinam respiciente, ab eis pronuntiatum.

§ III — De Episcoporum officiis

Verum si magna sublimisque Episcoporum dignitas, magna quoque et gravia sunt ipsorum officia. Audiant igitur haec ad ipsos Concilii Tridentini monita : « Optandum est ut ii qui « episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes « agnoscant ; ac se non ad propria commoda, non ad divitias « aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria « vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est et fideles « reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, « si praepositos suos viderent non ea quae mundi sunt, sed « animarum salutem, ac coelestem patriam cogitantes »[1].

Episcoporum autem est sedulo attendere sibi iuxta beati Pauli ad Timotheum monitionem, eaque omnia a se removere, unde tam augustum eorum ministerium vituperari posset. Quapropter ipsis, utpote speculatoribus, minime sufficeret se, moresque suos, ac totam domum ita composuisse, ut inde omnibus venerationis et aedificationis causa oriretur. Sciant igitur se in excelso positos, ut vigilantiae munus quod ipsis proprium est, et Ecclesiae Dei tam necessarium, facilius adimplere valeant. Ante omnia, cum fides, ut ait Concilium Tridentinum, sit humanae salutis initium fundamentumque, in illa orthodoxa fide, quam Sancta Ecclesia Romana colit et docet, tuenda stabiliendaque, constanti studio invigilent. Et quia non minus in fidei ruinam vergit crassa illa culpabilisque

[1] Conc. Trid., sess. XXV, *De Reform.*, cap. I.

catholicarum veritatum ignorantia, quam earum per errores et haereses depravatio, pari cura huic operi incumbant, ut et errores confutentur, et ignorantiae vitium, quantum fieri poterit, extinguatur.

Invigilent etiam Episcopi, ne in proprias dioeceses abusus irrepant. Quocirca eos enixe hortatur eadem sacrosancta Tridentina Synodus, « ut illi in commissis sibi ecclesiis eo « libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos « regere et in vitae ac morum honestate continere potuerint, « atque illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non « percussores esse meminerint ; et ita praeesse subditis oportere, « ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres « diligant ; elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis « deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere « cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem « peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, « ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et « patientia : cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia « quam austeritas ; plus exhortatio quam comminatio ; plus « caritas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga « opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia « iudicium cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine « asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, « et qui correcti fuerint emendentur ; aut si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis « deterreantur » [1].

Haud secus ac vigilandi, Episcopis etiam incumbit et praedicandi munus. Nec enim dubium est unicuique ipsorum,

---

[1] Conc. Trid., sess. XIII, *De Reform.*, cap. I.

sicut et Timotheo, ab Apostolo dici : *Opus fac evangelistae, ministerium tuum imple* [1]. « Quia vero, inquiunt Patres Tridentini, christianae reipublicae non minus necessaria est « praedicatio evangelii quam lectio ; et hoc est praecipuum « Episcoporum munus : statuit et decrevit eadem sancta « Synodus episcopos, archiepiscopos, et omnes alios ecclesiarum « praelatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, « ad praedicandum sanctum Jesu Christi evangelium. Si vero « contigerit episcopos et alios praedictos, legitimo detineri « impedimento, juxta formam generalis Concilii viros idoneos « assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium « salubriter exsequendum » [2]. Quinimo, cupiens eadem sancta Synodus illud ministerium, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri, mandat ut Episcopi in aliis ecclesiis per parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo deputandos, sacras Scripturas divinamque Legem annuntient.

Ut autem illa Concilii Tridentini tam salutaris praescriptio efficacius observetur, Episcopos hortatur haec Synodus ut praedicationi verbi divini constanter invigilent, ipsamque ita peragi curent, ut Christus in cordibus efformetur.

Curent etiam Episcopi ut, quantum temporis aut locorum circumstantiae ferent, fiant identidem in ruralibus ecclesiis, per aliquos dioecesis suae aut etiam dioecesis alienae presbyteros, pia exercitia, cum clara expositione, sive veritatum fidei, sive praeceptorum Dei et Ecclesiae, et vivida exhortatione, ut audientium corda quam primum ad Deum convertantur. In oppidis autem, eadem exercitia habeantur, sed cum luculentiore,

---

[1] II Tim., IV, 5.

[2] Conc. Trid., sess. V, *De Reform.*, cap. II.

si ita expedire videbitur, doctrinae aut officiorum explanatione. Sciant etiam Episcopi se non inutili cura gravari, si in eligendis praedicatoribus pro hujusmodi exercitiis sollicitam operam impendant ; eosque moneant qualiter, pro temporum ac locorum exigentia, verbum divinum annuntiari conveniat. Quod si, in aliqua dioecesis parte, hi funestissimi errores, qui ad praesens inter populos diffunduntur, irrepere coeperint, eos confutari et praefocari per evangelicae veritatis praedicationem, Episcopos satagere necesse est. Meminerint tamen omnes ad hanc pugnam indiscriminatim non esse admittendos, ne forte errores impugnati, sed non victi, per ipsam argumentorum debilitatem, firmius et tenacius animis audientium inhaereant : ideoque omnes parochos, aliosve, ad quos praesens admonitio spectare potest, hortamur in Domino quatenus huic errorum hodierni temporis confutationi, seriam praeparationem, et fervidam orationem semper praemittant.

Aliud etiam Episcopis gravissimum munus impositum, nempe populo christiano parochos praeficere. Cum enim, ut ait Concilium Tridentinum, expediat maxime animarum saluti a dignis et idoneis parochis gubernari, ubi constiterit ecclesiam parochialem vacare, statim Episcopus, inter eos quos, re mature perpensa, dignos cognoverit, eum eligat quem aetate, moribus, doctrina, prudentiaque, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneum iudicaverit [1].

Similiter Episcopi propriam dioecesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut per alios ad hoc officium deputandos, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem notabilem ejus

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *De Reform.*, cap. XVIII.

partem visitare non praetermittant. Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, praeter sacramenti Confirmationis administrationem, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere ; bonos mores tueri, pravos corrigere ; populum exhortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere ; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque faciant, monentur praedicti omnes et singuli ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere [1].

Constanter etiam servent Episcopi salutarem illam consuetudinem convocandi, singulis annis, suae dioecesis presbyteros ut in aliquo sacro secessu, per aliquot dies, piis exercitiis vacent, et annos aeternos meditentur.

Verum praeter multiplices gravesque Episcoporum obligationes, quas hucusque retulimus, sunt etiam aliae quae ipsis maxime cordi esse debent ; sed inter eas nulla, quae majorum minorumque Seminariorum curae anteponi debeat. Utraque enim Episcopi eo majori sollicitudine et affectu prosequi debent, quod in ipsis resideat, pro futuro, spes sacerdotii, divinique ministerii, id est, gloriae Dei, animarumque salutis. Ipsis itaque tales Superiores magistrosque semper praeficere curent, qui alumnos pietatem, innocentiamque vitae, ac humanarum sacrarumque literarum scientiam accurate edoceant.

Sed quoniam, ut studia proficiant in melius et floreant,

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *De Reform.*, cap. III.

nihil magis utile inveniri potest, quam ut recte prudenterque gerantur negotia temporalia Seminariorum, et per hanc laudabilem administrationem, omnis metus circa eorum existentiam aut prosperitatem, nec non circa Superiorum ac Magistrorum statum et conditionem, adimatur ; omnem curam impendent Episcopi in eligendis Oeconomis idoneis qui, sub auctoritate Superiorum, indefessa diligentia, impensas dirigant et moderentur.

Praeterea Episcopi, adiunctis sibi viris probatis et peritis, accuratam quotannis redditunm ac impensarum rationem exigent. Statuent etiam quae, in annum alterum, constructiones, reparationesque aut acquisitiones suscipi poterunt ; nec eis unquam consentient, quae nimiam, id est, excedentem consuetas dictorum Seminariorum facultates, impensam exigerent.

Hinc, nullus Superior aut Oeconomus arbitretur sese posse, ratione officii sui, in incerta negotia, aut non approbata immittere ; cum, in hac parte, nihil alicuius momenti incipi debeat, absque expresso Episcopi consensu, cuius est, consultis eisdem viris probatis et peritis, quae peragenda sint statuere et determinare.

Praeterea, cum nihil sit quod magis conferat ad conservandam, augendamque inter populos, vitae christianae rationem, quam pia puerorum educatio ; nihilque e contra promptius et magis radicitus fidem destruat, mores corrumpat, sicque societatis et familiae vincula disrumpat, quam eorumdem indisciplinata et irreligiosa institutio. Episcopi huic tam gravi pastoralis sollicitudinis officio constanter incumbere studeant. Quapropter sedulo curabit unusquisque Episcopus, ut parentes admoneantur de obligatione quam eis imponunt,

in hac parte, natura simul et religio ; et si per se ipsos huic officio educationis, ipsis divina dispositione imposito, satisfacere nequeunt, sciant saltem, se, lege certissima, ad hoc adstringi ut pueros non nisi magistris probis, catholicis, religione sincera praeditis, ac tam gravi munere dignis, committant ; nec ullum temporale commodum condignum haberi posse quod anteferatur, non dicimus modo aeternae puerorum saluti, verum et bonis quae in hac etiam vita ex christiana educatione defluunt, cum ea sola vir probus et patriae devotus praeparetur.

Idcirco, ut in re tam gravis momenti, familiis, quantum fieri poterit, adiumento sint, Episcopi nihil omittent ut in suis dioecesibus instituantur aut multiplicentur scholae omni parentum fiducia dignae, videlicet, in quibus, cum literis, scientiam amoremque Religionis juvenes edoceantur, et ipsius praeceptorum adimpletioni accurate simul et leniter efformentur.

Tandem, si caritas, quae est perfectio legis, omnium fidelium, et maxime sacerdotum mentes accendere debet, quanto magis Episcoporum, qui, cum erga omnes paternum affectum habeant, curas et dolores omnium longe vividius persentiunt. Continua igitur sollicitudine causam omnium miserabilium personarum Episcopus inquirat, quasi a Propheta ipsi dictum fuerit : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor* [1]. Quod si, impar egenorum necessitatibus, sibi deesse sentiat has dotationes quibus in praecedentibus saeculis, pietas fidelium ditaverat Ecclesiam, horum Tobiae verborum recordetur : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum*

[1] Ps. IX, 35.

tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude [1]. Praeterea, utetur, si opus fuerit, ea libertate quae ipsi libenter ab omnibus conceditur, divitum erogationes pro pauperibus implorandi; nihilque Praesulibus carius sit aut potius quam nomen patroni aut advocati pauperum. Ipsis igitur iuvandis omnimodo et indesinenter invigilet, felicemque sese existimet quoties unum ex his operibus, quibus tot et tantae miseriae sublevantur, instituere potuerit.

DECRETUM II

DE SEDE EPISCOPALI VACANTE

Cum fere omnes Provinciae civilis Quebecensis ecclesiae cathedrales Capitulo carerent a quo, iuxta Tridentinae Synodi dispositionem [2], eligi possit et debeat Vicarius qui vacantem ecclesiam regat, a Patribus Concilii Quebecensis Provincialis Quinti, decreto decimo sexto, supplicatum fuit Sanctissimo, ut sequentem normam praeficiendi administratores dictis ecclesiis cathedralibus quandocumque eas vacare contigerit, approbare velit, donec aliter ab Apostolica Sede provideatur; quod concessum fuit die 23 augusti 1874.

1. Singuli huiusce Provinciae Antistites qui neque coadiutorem cum futura successione, neque vicarium gene-

[1] Tob., IV, 9

[2] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. XVI.

ralem habent, deputare teneantur vicarium habilem et idoneum; si vero iam plures vicarios generales habeant, unum ex iis designent ad effectum praesentis decreti, per scripta authentica in archivis servanda; habeantque plenam facultatem dictum vicarium revocandi et alterum substituendi ad nutum.

2. Hic autem vicarius, statim ac sedes vacaverit, dioecesis regimen assumat sub nomine *administratoris sede vacante*, tanquam Sanctae Sedis delegatus; et in eiusmodi munere permaneat donec novus Episcopus dioecesis possessionem adierit, vel aliter ab eadem Sancta Sede fuerit ordinatum: suo autem muneri renuntiare non valeat, aut eo privari, inconsulta Sancta Sede.

3. Pari modo administrator ille alterum statim deputet ecclesiasticum virum idoneum qui sibi in munere, si forte interim obierit, succedere debeat: deputatus autem, si ad administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesiae provideat, si forte et ipse obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisa fuerit.

4. Quicumque supra dicto modo ad vacantis ecclesiae curam devenerit, teneatur, infra mensem, sub poena suspensionis, certiorem reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et singulis uti facultatibus quae iure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac praeterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus Episcopus pollebat, iis duntaxat exclusis quae requirunt characterem episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur.

5. Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante,

nemo praesto sit qui illius regimen iuxta praemissas regulas valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet Metropolitanus, et in eius defectu, vel si de metropolitana ecclesia agatur, antiquior Provinciae suffraganeus.

6. Tandem omnes praedicti *administratores* rationem suae administrationis novo Episcopo reddere teneantur sicut vicarii capitulares, iuxta praescripta Tridentinae Synodi [1].

Cum autem in huiusce Provinciae dioecesibus quae cathedrale capitulum habent, vel habebunt, eadem pro animarum bono necessitas adsit ut facultates extraordinariae quas habebat defunctus Episcopus interruptionem non patiantur, sciant vicarii capitulares a dictis capitulis electi facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorum locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem ; sed ad successores ordinarios transire ad normam Decreti S. Officii editi 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales [2]. Iis teneantur obligationibus et facultatibus gaudeant, quae supra enumerantur in quarto articulo huiusce decreti.

De cetero, tum *a vicariis capitularibus* tum *ab administratoribus sede vacante*, adamussim serventur omnia quae, iuxta veras sacrorum canonum interpretationes, continentur in hac brevi et pervulgata regula : *Ne sede vacante aliquid innovetur.*

Quoad provisionem vero vacantis sedis peragendam, Archiepiscopus et Episcopi hujus provinciae ecclesiasticae ex S. Sedis indulgentia tres candidatos, quos dignos et idoneos

---

[1] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. XVI.

[2] Vide in App. Decr. S. Cong. S. Offic., 24 nov. 1897.

existimaverint, Eidem proponunt; salva tamen semper Apostolicae Sedis libertate alium, si placuerit, in Episcopum eligendi.

DECRETUM III

DE PAROCHIS ET ALIIS ANIMARUM CURAM GERENTIBUS

Parochi et sacerdotes alii omnes, ad excolendam Domini vineam, tanquam Episcoporum adiutores missi, alte in animo infixum habeant, se sublime tremendumque ministerium exercere, atque sua magni ponderis esse officia. Ab ipsis namque animarum quas suo sanguine Christus redemit cura geritur, et redemptionis aeternae divinum opus continuatur.

Sint igitur operarii inconfusibiles, et pastoralis ministerii partem sibi demandatam, omni diligentia et opere adimpleant, utpote villicationis suae rationem reddituri.

Meminerint parochi in primis se dispensatores esse mysteriorum Dei, et ideo, vi officii, debere sacramenta, quoties rationabiliter petita fuerint, administrare omnibus sibi commissis, maxime vero aegrotis, quorum cura non postremas sui muneris partes constituit.

Quia *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [1], nedum mercenarii more sibi commissos deserat parochus, ubi contagiosum morbum grassantem viderit, illis tunc sollicitus

---

[1] Ioan., X, 11

invigilabit ; quod quidem praeteritis temporibus semper, nostris vero praesertim, fecit huius Provinciae Clerus, toti Ecclesiae laetitiam et aedificationem afferens, sibique saeculi ipsius hominum plausus et admirationem concilians.

Item parochi meminerint horum Apostoli verborum : *Praedica verbum...; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* [1]. In quo gravissimo officio obeundo pascendi salutari doctrina fideles sibi commissos, ea studiose servent quae in Decreto IX hujus tituli in hac ipsa Synodo statuuntur.

Puerorum pariter summa sollicitudine curam habeant. Illos ad quotidianas preces Deo pie fundendas, necnon ad pietatem christianam excitent, informentque, ne excidant ab innocentia, et si invenerint illos in vitiorum coeno iacentes, contendant omnimodo insinuare illis quae necessaria sunt ad absolutionem sacramentalem quam inpertientur illis, non habita ratione aetatis, modo requisitas habeant dispositiones [2].

Praeterea, cum doctrina christiana, haud satis mentibus insculpta, oblivioni citius tradatur, parochus nullum admittat puerum ad sacram synaxim, qui non ad convenientem pervenerit aetatem, nec regulariter, nisi assidue interfuerit catechesibus per totum tempus decreto Quebecensis Concilii Provincialis I praescriptum [3].

Peracta vero prima Communione, pueris invigilare non desinat, quin potius maiori illos prosequatur sollicitudine, utpote multiplici tentationum generi obnoxios, nihilque omittat ut frequenti Sacramentorum usu in bono proposito

[1] II Tim., IV, 2.

[2] Vide tit. VI, decr. VI, § VI.

[3] Vide decr. XII, huius tit.

perseverent. In quantum fieri poterit, illis, Dominica qualibet die, fusius evolvat quas antea brevius exposuerat veritates, sicque paratus ad hoc munus accedat, ut animos audientium ipsa rerum explicatione attentiores reddat.

Personarum, quae Deo specialiter inserviunt, devotionem fovere augereque studeat, ut paulatim illarum numero aliae aggregentur, quae pietati pariter incumbant : caveat tamen ne, perfectioni paucorum intentus, ceteros negligat parochianos. Si non adsit in paroecia pars illa melior gregis, huic efformandae indesinenter allaboret. Ad hoc autem assequendum maxime eum iuvabunt solemnia exercitia spiritualia (*les retraites solennelles*) populo suo opportune tradita, piarumque confraternitatum institutio.

Nec praedicatione tantum, sed et oratione assidua gregem suum adiuvet, applicetque ei fructum sacrosancti Missae sacrificii diebus dominicis et festivis per annum etiam suppressis [2] ; nec unquam omittat memoriam eius facere in omnibus sacrificiis et orationibus suis.

Quos habuerit in adiutorium officii vicarios parochus, paterna benignitate ad pietatem et virtutes ecclesiasticas et ad ministerium rite implendum informet, tum monitis, tum exemplis, ab iisque, in quantum poterit, omnia removeat animae pericula.

Quocirca sedulo advertere debet quod licet, ex communi Ecclesiae usu, invaluerit, atque etiam ex speciali decreto primi

---

[2] Festa suppressa, de quibus hic agitur, sunt festa Annuntiationis B. M. V., Corporis D. N. J. C. et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Virtute enim specialis Indulti Apostolici, non viget, in Provincia civili Quebecensi, obligatio applicandi populo fructum sacrificii missae aliis festis suppressis.

Provinciae Quebecensis Concilii, indultum sit ut avia, aut mater, aut soror, aut amita, cum sacerdote commorari possit, si tamen in eadem domo versantur alii presbyteri, praefatas mulieres aetatem canonicam attigisse omnino requiritur.

Si quis autem *domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit* [1]? Parochus ergo in familia sive constituenda, sive regenda, valde cautus sit ac circumspectus.

Equidem sicut virtutibus christianis omnibus eminere debet sacerdos, ita filiali pietate. Cum vero sit homo Dei, et in eis quae Dei sunt illum esse oporteat, familiae suae curis non posset implicari, quin sacri huius muneris perfectioni deesset. Ideo totius huius Provinciae presbyteros hortamur, non sane ut parentes negligant, egenos potissimum, vel aetate caducos, sed ne suorum nimiae sollicitudini indulgeant, neque eos nimio numero retineant in presbyterio commorantes, nec locupletare affectent, nec in parochiae administrationem sese ingerere permittant. Sit ergo parochus domui suae bene praepositus, ut inveniat gratiam coram Deo et hominibus, et odor vitae eius fiat Ecclesiae Christi delectamentum.

Quia vero scriptum est : *Zelus domus tuae comedit me* [2], caute curet ut in templo Dei nihil squalidum sit ; sed omnia munda appareant ; saepe ergo sordes eiiciantur, expurgentur a pulvere parietes et altaria ; vasa sacrificii, sacraque linteamina, necnon paramenta sacerdotalia nitore resplendeant ; imo ecclesiam suam ornare studeat parochus, prout sese offeret occasio, sic tamen ut nihil peritorum oculos offendat.

Invigilet etiam vitae et moribus iuniorum Clericorum qui

---

[1] I Tim., III, 5.

[2] Ps. LXVIII, 10.

intra paroeciae fines degunt, tempore quo seminaria vacant.

Nec parvi momenti esse existimet, si pueros quosdam bona indole praeditos, et indicia praebentes ex quibus iudicari possint idonei ad sacerdotium, ad pietatem singulari studio instruat, primis scientiae, sacrarumque disciplinarum elementis imbuat, atque, si opus fuerit, etiam ex propria pecunia adiuvet, quo studiorum curriculum in aliquo minori seminario prosequi possint, et sic tandem ad clericale tyrocinium pervenire. Quo enim amplius leviticam illam tribum multiplicabit, eo iucundius Deo praestabit obsequium, eo magis Ecclesiam Christi laetificabit, regnumque Christi dilatabit.

Pari utatur vigilantia erga personas Deo dicatas, si quae existant in paroecia ; sed mulieres sobrie alloquatur, et invisat, ut decet Dei ministrum.

Religiosa iuventutis educatio ad Ecclesiam, utpote Christianorum matrem, ac magistram, ex ipsa Dei institutione spectat ; nam omnis sexus, omnis aetas in his verbis Christi : *Docete omnes gentes* [1], includitur.

Inde scholas instituere, iisque optimae notae magistros sufficere, animarum pastor sui muneris esse memor sit. Scholas ergo puerorum interdum visitet, non quidem censoris importuni vices gerens, sed potius patris et amici, ut omnes, tum praeceptorem, tum alumnos, Christo lucrifaciat

Caveat ne mere curiosa, vel supra captum posita, vel quae in vitae decursu, levis tantum, aut nullius essent utilitatis, pueri edoceantur, cum temporis iactura, et periculo ne supra humile ac simplex vivendi genus assurgere ambiant, sicque inutiles ac vere miserabiles evadant.


---

[1] Matth., XXVIII, 19.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



Omnium, quibus pueri in scholis utuntur, librorum catalogum sibi exhiberi curet ; perversos procul amandet, ac, si quominus eliminentur per eum non stet, rem ad Episcopum referat.

In immutandis usibus, vel tollendis abusibus, magnam adhibeat cautelam, nec quidquam alicuius momenti aggrediatur, nisi consulto Episcopo: meminerit horum sancti Augustini verborum, qui agens de auferendo usu quodam pernicioso, scripsit : « Non aspere, quantum existimo, non duriter, non « modo imperioso, ista tollantur ; magis docendo quam « iubendo, magis monendo quam minando ; sic enim agendum « est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata « paucorum, et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis « commonendo vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra « potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur » [1].

Cum parochus pro Christo legatione fungatur in terra, Christum induere nitatur, ita ut sese totum devoveat religionis augmento, animarumque saluti. Caveat igitur ne quid detrimenti afferat rebus tanti momenti, vel levitate, aut petulantia, vel inanis gloriae amore, vel rerum terrenarum cupiditate. Dicta sua ponderet, scripta discutiat, actus suos ita componat, ut non vituperetur ministerium nostrum ; perfectus appareat homo Dei ad omne opus bonum instructus.

Quia, ut ipse ait Christus, bonus pastor cognoscit oves suas et vocat eas nominatim [2], ideo parochus cognoscere debet fideles sibi commissos. Non ergo negligat morem hunc tam salutarem, singulas paroeciae suae familias, si fieri potest,

---

[1] Epist. XXII.

[2] Ioan., X.

certis temporibus visitandi, hocque munus adimpleat cum gravitate simul et modestia, necnon et singulari charitate. Quamvis enim a quolibet inutili, per paroeciam, discursu abstinere debeat, non tamen officio suo satisfecisse se arbitretur, si domi inclusus, exspectet ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce praesertim temporibus valet, hoc praeceptum Domini : *Ite ad oves quae perierunt domus Israel* [1].

Obediant parochi praepositis suis et subiaceant eis ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro eis. Inter se autem sint unanimes,idipsum sentientes, fraternitatis amatores, honore invicem praevenientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam facientes, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed quae aliorum.

Denique se patrem esse magis quam dominum memor parochus quisque sit, proindeque parochianos suos sincera charitate amplectatur et diligat ; illos, ut filios carissimos, moneat ; infirmos in fide benigne suscipiat, nemini det ullam offensionem, omnibus exemplo praeluceat, fiatque tamquam si nutrix foveat filios suos. Insuper inquirat studiose de pauperibus, praesertim de orphanis, pupillis, aegrotis senioque confectis, aliisque personis, temporali vel spirituali misericordia indigentibus, quibus et ipse, pro viribus, opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeat [2].

---

[1] Matth., x, 6.

[2] Conc. Mediol. I.

DECRETUM IV

DE VICARIIS PAROCHORUM

Ut parochi in gravissimo suo munere obeundo promptius ac facilius praesto esse possent fidelibus sibi commissis, in eorum ministerii adiutorium instituti sunt Vicarii, qui ab Episcopis deputantur, congrua ipsis fructuum parochialium portione assignata pro honesta eorum sustentatione. Ex quo et illud sequitur emolumentum ut iuniores praesertim Sacerdotes, antequam ipsi parochiale officium assequantur, ad tam ardui ministerii partes implendas sub parochi directione assuescant.

Quo inprimis spectat verbum Dei praedicare, administrare sacramenta, scholas visitare, aegrotantium curam habere, pueros et adolescentes christianam doctrinam docere, et omnia exercere officia, ad quae ab Episcopis fuerint destinati.

Quamobrem licet non proprio nomine curam animarum vicarii exerceant, sed ut parochorum adiutores et veluti repraesentantes, plurimi tamen ministerium suum faciant, semper memores praecellentis dignitatis eximiaeque potestatis, qua sunt insigniti, quos *sic existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ;* quos etiam respicit Christi Domini verbum : *Vos estis sal terrae* [1]. *Vos estis lux mundi* [2]; quibus etiam dictum est : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*

---

[1] Matth., v, 13.
[2] Matth., v, 14.

cis, et quorum retinueritis, retenta sunt [1]; qui denique *pro hominibus* constituuntur *in iis quae sunt ad Deum*, ut offerant *dona et sacrificia* [2]. Curantes ergo seipsos exhibere Deo operarios inconfusibiles, muneri suo alacriter incumbant, et Pauli exemplum sequentes, toti se impendant et superimpendant pro animabus salvandis.

Quoad facultates sibi creditas, sedulo perpendant, tum literas episcopales quibus ipsi deputantur, tum concessiones aut revocationes, generales vel particulares, scripto aut oretenus ab Ordinario factas, tum Decreta huius Concilii, ea notanter quae pertractant de iurisdictione ad praedicandum et absolvendum, atque de matrimonio.

Magni interest eos nec in virtutibus deficere nec a studio cessare, sed quantum sinant sacri ministerii officia, assidue eos versari oportet in ea servanda atque augenda disciplinarum praesertim theologicarum supellectili, quam in studiorum suorum curriculo adepti sunt. Ornetur eorum vita docendo et doctrina vivendo. Bonae famae suae rationem habeant et nullam iustae suspicioni causam praebeant. Quo magis hominum dicteriis exponuntur, eo solertius curent ea quae Domini sunt, diligentiusque utantur illis adiumentis sine quorum praesidio virtus sacerdotalis perdurare nequit. Ne praetermittant [illegible] olvere quae speciatim continentur in Nostrae Synodi Decretis : de vita et honestate clericorum, de residentia, de ecclesiastica scientia promovenda.

Diligant parochum ut patrem, et ex fide viventes, auctoritatem eius ut Dei auctoritatem revereantur. Eorum aetas

[1] Ioan., XX, 23.

[2] Hebr., V, 1.

atque modestiae ratio postulat, ut unusquisque a suo parocho non modo circa pastoralia omnia se corrigi sinat, sed etiam eius consilia in omnibus dubiis, nisi prudentia aliter suadeat, fidenter expostulet. Uniformem cum eo agendi rationem, sine qua tenues fructus salutis sperandi essent, studiose servent. Nil in gravibus negotiis, nisi eo assentiente, aggredi praesumant ; nil alicuius momenti absque eius licentia, et praesertim ipso invito, innovent. Promptior sit eorum observantia, si senio aut infirmitatibus pastor laboret ; et si forsan apud parochianos conquestus circumferantur aut quaedam factio ipsi adversetur, ne foveant unquam eius censores ; sed magis omni cura patrem venerationi fidelium commendent.

Ita in Domino se gerentes vicarii, et pacem magnam habebunt, et fidelibus aedificationi erunt, et ministerii sui uberes fructus referent, et divinas benedictiones, servo fideli promissas, super se in praesenti et in futura vita copiose et abundanter impetrabunt.

DECRETUM V

DE CONFESSARIIS MONIALIUM

Quum lectissimam partem gregis Virgines Deo sacrae constituant, quae per immaculatae vitae sacrificium et piorum operum exercitium tantam Deo gloriam exhibent, tantam Ecclesiae utilitatem praestant ; pronum inde est intelligere quam magni momenti munus sanctimonialium confessarius

exerceat, qui earum conscientias moderari easque in viam perfectionis dirigere suscipit.

Ad quod procul dubio recte adimplendum viro opus est maturo consilio, qui conversationis gravitate et integritate vitae praefulgeat abundetque, prout auctor est Franciscus Salesius, tum charitate, tum scientia, tum prudentia, quarum virtutum vel si una deficiat, discrimen haud parvum incurritur.

In confessionibus excipiendis tum professarum, tum vel maxime novitiarum, sese praebeat diligentissimum, eas statis temporibus audiens atque extra statas etiam horas, quando confessio vere necessaria iudicatur aut utilis.

Magnam sane curam omnium monialium confessarius gerere debet, at maior adhuc sollicitudo in novitiis ad religiosam disciplinam instituendis ipsi impendenda est, ut eas ad pietatem, ad sui abnegationem, ad obedientiam et mutuam charitatem assidue exerceat, initia quaeque vitiorum in ipsarum animis comprimat, regularum et instituti tum cognitione mentes imbuat, tum amore accendat corda : quibus mediis suaviter efficiet ut sancte vota servent laetoque animo crucem Domini quotidie ferant.

Cavendum autem confessario ne colloquia ad confessionem non spectantia sive in sacro tribunali sive extra misceat. Quod si autem spiritualis directionis gratia, salutatorium, necessitate id exigente, adeat, modestum sese, gravem ac religione plenum exhibeat.

Ad accipienda donaria, etiam quae sacris canonibus aut peculiaribus Instituti legibus non prohibeantur, vix ac ne vix quidem umquam animum inducat, sibique maiori laudi fore existimet si munus quodvis sive a moniali qualibet, sive a tota

communitate oblatum, abnuat, annuoque censu sibi constituto maneat contentus.

Cum ipsa monialium moderatrice otiosas sermocinationes sedulo devitet, tum ne in nugis pretiosum tempus conteratur, tum etiam ne ullo modo suspicari valeant moniales suos regularis observantiae defectus a superiorissa confessario patefactum iri. Nullatenus vero superioris vices gerere praesumat, sive externos monialium defectus ab earum superiorissa exquirendo, sive delinquentibus poenas externas irrogando, sive negotiis temporalibus sese immiscendo, sive alia quavis ratione fori interni limites excedendo : hoc enim esset insolenter immittere falcem in messem alienam [1].

Nihil unquam dicat, nihil agat, quod ad labefactandam regentium auctoritatem faciat : eorum potius mandata et praecepta et traditiones studiose probet, laboretque ut regulis omnibus fortis et suavis obedientia praestetur. Nullis unquam externis, ne collegis quidem suis sacerdotibus, sanctimonialium defectus aut virtutes referat ; quae vero intra domus penetralia minus recte acta aut constituta sunt, alto premat silentio.

Confessarius ordinarius tamdiu a confessionibus audiendis abstineat, quamdiu delegatione sua perfungitur extraordinarius ; neque erga hunc se praebeat suspiciosum, sed potius accessum facilem ad ipsum omnibus monialibus procuret, totam suam agendi rationem decreto *Quemadmodum* exactissime conformans. Confessarii autem omnes, tam ordinarii quam extraordinarii, post expletum ministerii sui tempus, ad moniales non accedant, ne directionis quidem, vel spiritualis collationis causa ; quin immo ab epistolari commercio de his materiis

---

[1] S. Cong. Episc., 7 sept. 1797.

cum qualibet seu moniali, etiam superiorissa, seu novitia, seu puella apud ipsas educationis gratia degente, ineundo abstiner eos communiter decet et expedit.

Quum non exigua pars muneris confessarii monialium esse soleat collationibus spiritualibus, fidei mysteria et religionis praecepta eis saepius proponere, principia religiosae vitae et perfectionis expendere, proprias congregationis regulas et constitutiones, votorum naturam et obligationes, atque specialia in instituto opera et officia adimplenda edisserere, ad illas conciones habendas diligenti adhibita cura et oratione se praeparet.

Tale vero munus, ut oportet, perficere non poterit nisi assiduo et indefesso studio doctrinae suae thesaurum adaugeat. Theologiam mysticam et vias Dei exploratas habeat, iis usus ducibus et magistris, qui lustrato primum arduo illo itinere, tuto ipsum aliis demonstrant. Huiusmodi sunt sapientissima virgo Teresia, cuius ut coelestis doctrinae pabulo nutriamur orat Ecclesia, et mysticus ille doctor, Ioannes a Cruce, quem in divinis arcanis revelandis pari instructum prudentia collaudat. Quibus accedunt duo recentiores spiritualis vitae magistri, suavissimus nempe Franciscus Salesius piissimusque Alphonsus Ligorius, quos nostris temporibus in doctorum album retulit Ecclesia. Hos sibi sanctimonialium moderator valde commendatos habeat, eorumque libris pervolutandis diu noctuque insistat.

Quandocumque aliquos defectus animorumque labes in concione vituperare debet, evangelicae memor sit mansuetudinis, caveatque ne certas personas signare videatur, persuasum sibi habens maiori etiam cautela, quoad hoc, opus esse intra coenobii septa quam intra fines frequentioris parochiae.

Licet confessarii domicilium prope monasterium esse debeat, Alexander tamen VII, in constitutione *Felici*, statuit, et S. Congregatio Episcoporum pluries declaravit [1] illud coenobio non coniunctum, nec contiguum, sed ab ipso separatum atque sub diverso etiam tecto esse debere. A quo domicilio confessarius raro admodum absit, ratus se ministerio suo imparem fore si instar mercenarii creditum sibi gregem deserat.

Sanctitatem demum sibi pernecessariam adepturum se non speret, neque in acquisita perseveraturum, quin praestituens sibi certam vivendi regulam, quotidianae meditationi, aliisque spiritus exercitationibus fideliter incumbat.

DECRETUM VI

DE INCARDINATIONE PRESBYTERORUM EXTRANEORUM

Si quis sacerdos extraneus dioecesano clero cooptandus sit, incardinatio facienda est ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, ita ut sacerdos novae dioecesi prorsus mancipetur. Ad hanc autem incardinationem deveniri non potest, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum sacerdotem e sua dioecesi fuisse in perpetuum

---

[1] Ferraris, Mon., art. v, n. 68.

dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia. Demum excardinatio fieri non licet nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortitur, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata [1].

DECRETUM VII

DE IIS A QUIBUS FIDEI PROFESSIO EST EMITTENDA

Concilii Tridentini [2] et pontificiarum Constitutionum vestigia prementes, decernimus ut infra designati professionem Fidei a Pio IV et Pio IX descriptam emittere teneantur, videlicet :

Archiepiscopi et Episcopi in prima Synodo Provinciali quae post eorum promotionem celebratur.

S. C. de Propaganda Fide, die 8 aprilis 1875, animadvertit : « iamdiu invaluisse laudabilem consuetudinem qua episcopi in « synodis provincialibus, etiamsi aliis interfuerint, Fidei pro- « fessionem emittant, et hortandos praesules ecclesiasticae « Provinciae Quebecensis, ut eamdem consuetudinem in « posterum servare studeant »

[1] Vide in App. Decr. S. Cong. Conc., 20 iulii 1898.

[2] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. XII.

Obtinentes dignitates aut canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, infra bimestre a die coeptae possessionis, tum in manibus Episcopi vel eius Vicarii Generalis, tum coram Capitulo. Sufficit autem unica Fidei professio, si in Capitulo praesens sit Episcopus vel Vicarius Generalis.

Provisi de beneficiis curam animarum adnexam habentibus, infra idem tempus, ab incoepta possessione, coram Episcopo, vel, eo impedito, coram eius Vicario.

Omnes Doctores, Magistri et cuiuscumque artis vel facultatis Professores, qui in publicis universitatibus vel gymnasiis lectionem habent, necnon qui ad gradus academicos promoventur, coram Episcopo vel eius Deputato.

Demum, Concilio Romano 1725 adhaerentes, decernimus Fidei professionem etiam emittendam esse a novo Vicario Generali, a Vicariis foraneis, a Ministris Curiae episcopalis, a novis concionatoribus, et a novis confessoribus, coram Episcopo vel eius Deputato.

Quod si quis ex praedictis personis professionem emittere negligat, sciat se subiacere poenis quae in contumaces a Concilio Tridentino [1], et a Pio IV [2], latae sunt ...iisque Episcopi arbitrio ferendis.

---

[1] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. I et XII.

[2] In Bulla *In Sacrosancta*

DECRETUM VIII

DE RESIDENTIA

Prae oculis habentes ac in omnium memoriam revocare cupientes illa gravissima verba quibus Sacrosancta et Oecumenica Tridentina Synodus de[illegible] pastoralibus officiis, quae praecepto divino mandata sunt, ab iis satisfieri non posse, « qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercena- « riorum more deserunt » [1], decretum IV Concilii Quebecensis VI, de residentia, sancimus et renovamus :

« Ne ulla temporum iniuria aut hominum oblivione aut « desuetudine aboleantur salutares regulae quas statuit sacro- « sanctum Tridentinum Concilium, circa personalem residen- « tiam pastorum animarum, haec Synodus omnes huiusce « provinciae Episcopos et quoscumque alios clericos in ea « animarum curam habentes admonet ut dicta Tridentina « decreta...... identidem perlegant et fideliter observent ».

Declaramus itaque clericos omnes aliquod possidentes beneficium, cui sit animarum cura adnexa, stricta obligatione teneri ad residentiam continuam, personalem et non otiosam, in domo parochiali, si quam habent, ecclesiae propinqua.

Quam legem eo instantius inculcamus, quo maius, nostro tempore, itinerum facilitas laxioresque saeculi usus periculum

---

[1] Sess. XXIII, *De Reform.*, cap. I.

eam infrigendi clericis praebent, et quo facilius populos ex frequenti pastorum absentia scandalizari contingit.

Meminerint itaque parochi, etiam amovibiles [1], se, ipsius muneris sui ratione, ad hanc residentiam gravissima lege teneri, delinquentesque tum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere nec tuta conscientia illos sibi detinere posse, tum aliis etiam poenis obnoxios esse, saltem si ultra bimestre sine licentia obtenta abfuerint [2].

Si autem aliquando eos ex legitima causa abesse contigerit, alium sacerdotem idoneum ab Ordinario approbandum, assignata ipsi iusta remuneratione, relinquant, ne parochiani detrimentum patiantur.

Sciant vero iustam discedendi causam minime sufficere, sed insuper requiri licentiam seu causae cognitionem ab Ordinario [3], « nisi talis necessitas repente se offerat quae non « patiatur dilationem huiusmodi licentiam petendi ; quo casu « quam primum de discessu et de necessitate Ordinarium « certiorem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit » [4], meminerint, praemonito simul proximiori saltem parocho, qui animarum necessitatibus provideat. Tacitam vero licentiam nec pro unius hebdomadae absentia sufficere, expressamque esse obtinendam [5] declaramus.

Ad absentiam vero, quae duos menses per annum sive continuos sive interruptos excedat, non nisi scripta valeat ab

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, *De Reform.*, cap. I.

[2] Conc. Trid , loc. cit.

[3] S. Cong. Conc., 7 oct. 1604.

[4] Ibid.

[5] Ibid.

Ordinario licentia et quidem gratis atque ex gravi, quam ipse probaverit, causa concedenda [1]; aliquo semper, in vicem absentis, sacerdote rite deputato.

Volumus autem parochos esse monitos se residentiae legi non satisfacere, si saepe saepius extra parochiam, etiam ad tempus breve, discurrant, quippe qui plura muneris sui praetermitterent, non sine magno animarum detrimento.

Statuimus demum quae de parochi residentia dicta sunt, ea etiam de eleemosynariis, capellanis et vicariis intelligenda esse, ac vicarios nec ad breve tempus abire posse, nisi sciente et consentiente parocho.

DECRETUM IX

DE SACRA PRAEDICATIONE

Sacrum praedicandi munus, quod Christus Dominus per apostolicae suae vitae annos tam diligenter adimplendo commendabat, quum testaretur : *Oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum* [2]; quod tam solemnibus verbis Ecclesiae suae committebat, Apostolis dicens : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete* [3]. *Praedicate*

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, *De Reform.*, cap. I.

[2] Luc., IV, 43.

[3] Matth., XXVIII, 18, 19.

Evangelium omni creaturae [1]; quod etiam beatus Paulus Apostolus ad fidem pernecessarium esse demonstrabat, ad Romanos scribens : *Quomodo credent ei quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine praedicante ?* subnectensque : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* [2]; praestantissimum sane summique momenti ad animarum salutem existimandum est.

Quapropter idem Paulus ad Timotheum scribens, non tantum praedicandi officium commendat, dicens : *Praedica verbum*; sed enixa obsecratione illum ad verbi ministerium studiosissime peragendum adhortatur et urget : *Testificor coram Deo et Iesu Christo..., per adventum ipsius, et regnum eius : praedica verbum* [3]. Neque mirum, siquidem concionator vere *pro Christo legatione* fungitur [4], eiusque instrumentum et quasi vox ita habendus est, ut valeat Apostoli verbis de seipso testificari : *In me loquitur Christus* [5], habetque amplissimum sibi praemium promissum a Spiritu Sancto per Danielem dicente : *Qui ad iustitiam erudiunt multos,* fulgebunt *quasi stellae in perpetuas aeternitates* [6].

Praeclaris hisce testimoniis accedunt etiam solemnia Tridentini Concilii monita, quibus docet praecepto divino mandatum esse omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini praedicatione pascere [7], decernitque ut

---

1 Marc., XVI, 15.

2 Rom., X, 14, 17.

3 II Tim., IV, 1, 2.

4 II Cor., V, 20.

5 II Cor., XIII, 3.

6 Dan., XII, 3.

7 Sess. XXIII, *De Reform.*, cap. I.

« quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes « ecclesias, quocumque modo obtineant, per se, vel alios idoneos, « si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis « solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate « pascant salutaribus verbis » [1].

Ad huius igitur Tridentinae praeceptionis normam concionem diebus dominicis et festis de praecepto servandis habendam esse meminerint Parochi, advertantque conscientiam suam graviter onerari, si per se vel per alios idoneos praedicare notabili tempore omittant. Sancto autem Quadragesimae et Adventus tempore idem Concilium praecipit ut quotidie vel « saltem tribus in hebdomada diebus, si Episcopi ita oportere « duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient » [2].

Certum ordinem instituant in serie concionum suarum, saltem tempore Adventus et Quadragesimae, puta explicando aut fidei symbolum, aut praecepta Decalogi, aut sacramenta, iuxta normam Catechismi Concilii Tridentini, ut veritates christianae in mentibus fidelium inter se cohaereant et altius infigantur.

In cuius ministerii partem volumus etiam vicarios venire, a quibus singulis, semel saltem quolibet mense, aliqua concio habenda est.

Quod si aestivo tempore praedicationem aliquantulo remissiorem esse, propter incommoda tempestatis, concedi potest, nunquam tolerandum est ut animae spirituali cibo priventur, sed breviores saltem sermones nonnullaque salutis monita ad populum dirigantur. Ceterum, iudicare an quandoque iusta

---

[1] Sess. V, *De Reform.*, cap. II.

[2] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. IV.

sit causa a concionibus abstinendi, prudentiae Episcopi relinquitur [1].

Pro ea autem, quae verbo divino debetur, reverentia, sacri praecones sermonem ad populum nunquam habeant nisi diligenti meditatione et praeparatione praemissa, prae oculos habentes normam quam sanctus Carolus Borromaeus apposite praebet : « Concionator sacer omnino studebit ut quod in « concione dicturus est, antea bene cognitum habeat : ubi vero « ex studio librorumque tractatione, cognoverit ac perceperit « quod concionaturus est, tunc singulas concionis partes, quas « animo concepit, etiam atque etiam diligenter pieque medita- « bitur, ut audientium animos ad illum ipsum pietatis affectum « sancteque agendi ardorem excitet » [2].

Quod ut melius assequantur concionatores, praesertim iuniores, scripto ante accurate sermones suos exarare nunquam omittant.

Districte praeterea inhibemus omnibus parochis, vicariis et praeconibus, ne in praedicatione divina rebus mere politicis, quaestionibus et controversiis inter saeculares agitatis sese immisceant. Contentiones etiam, quae inter ipsos et aliquos e parochianis exoriri forte queant, in ecclesia ne attingant. A conviciis, acerbis insectationibus et praesertim ab alicuius particularis personae reprehensione prorsus abstineant quae illam, licet indirecte, ita tamen notaret ut ab aliis facile dignosceretur. Caveant insuper ne ipsa vitiorum insectatio, discretionis sale non condita, pias aures offendat, neve de stipendiorum et redituum tenuitate obmurmurantes, avaritiae

---

[1] S. Cong. Conc., 1 apr. 1876.
[2] Act. Eccl. Mediol., p. 4, *De Praedic.*

labe suam dignitatem aspergant. Quod si quis, has ordinationes temere contemnens, scandali aut iniuriae causa fuerit, Episcopus illum poenis etiam gravioribus, pro gradu culpae, afficiat.

His etiam subnectere visum est compendium literarum de Sacra Praedicatione, quas sacra Congregatio Episcoporum et Regularium ex mandato Sanctae Sedis pro Italia recens conscripsit, quasque in Provincia nostra religiose esse servandas declaramus et decernimus [1]:

Imprimis concionatores, ne fiant *velut aes sonans, aut cymbalum tinniens* [2], sed sint veri ministri *Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* [3], solidam pietatem internam acquirere et Iesu Christi spiritu informari studeant. At quoniam experientia constat veritates quae sine studiis praesertim sacris, sine delectu et promiscue fidelibus proponuntur, nil nisi taedium generatim afferre, saepiusque religionem ludibrio obiicere, pietatem suam eximia scientia corroborare ne negligant.

Sacri porro praecones, ea tantum docere satagant quae vere ad sacram praedicationem pertineant; hoc enim eis Redemptor noster et Dominus insinuat, dicens: *Praedicate Evangelium...* [4], *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [5]; hoc etiam Angelicus Doctor declarat quum ait: « Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in « operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo « exhortando, hominibus praedicare » [6]; hoc et sacrosanctum

[1] S. Cong. EE. et RR., 31 iulii 1894.
[2] I Cor., XIII, 1.
[3] I Cor., IV, 1.
[4] Marc., XVI, 15.
[5] Matth., XXVIII, 20.
[6] In S. Matth.

Concilium Tridentinum repetit, praedicatorum erga Christi fideles officia constituens in annuntiando « eis vitia quae eos « declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam « aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant » [1]; hoc demum sanctae memoriae Pius IX inculcat, quum scribit : « Non semetipsos sed Christum crucifixum praedicantes, sanc-« tissima religionis nostrae dogmata et praecepta... populo clare « aperteque annuntient ; peculiaria singulorum officia accurate « explicent, omnesque a flagitiis deterreant, et ad pietatem inflamment. » [2].

Unde aperte liquet ex Symbolo et Decalogo, Ecclesiae praeceptis et sacramentis, virtutibus et vitiis, cuiusque status et conditionis officiis, hominis quoque novissimis, aliisque huiusmodi aeternis veritatibus propriam et ordinariam sacrae praedicationis materiam coalescere.

Quibus tamen omnibus turpiter neglectis, multi hodiernae aetatis praedicatores, inanis gloriae indignam speciem sectantes, usitatas apud maiores nostros conciones pias derelinquunt, insolitasque quasdam dissertationes (vulgo *conférences*), in Quadragesima praesertim ac solemnioribus festis, praeter morem usurpant, quibus audientium aures demulcent, quin tamen voluntas et mores corrigantur. Ast quia errores in religione, apud catholicos maxime, ab inordinatis animi motibus plerumque procedunt, iuxta Christi verbum : *De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae* [3], istiusmodi praecones in pessimum scopulum impingunt, quod nec plebis utilitati consulant, nec

[1] Sess. v, *De Reform.*, cap. II.

[2] Litt. Encyc., 9 nov. 1846.

[3] Matth., xv, 19.

paucis ad quos attendunt fere prosint. Quapropter omnino reprobantur speculativae illae dissertationes, quae verborum lenocinia sectantes, congestisque undique profanae eloquentiae ornamentis instructae, saeculare aliquid redolent, et, sacrilega usurpatione, potius ad mundanorum hominum plausus captandos quam ad animas salvandas, proferuntur.

Apologeticae vero dissertationes, adversus tot nostrae tempestatis errores dimicantes, non profecto reiiciendae, immo et aliquando etiam religioni propugnandae valde utiles et necessariae declarantur, modo tamen accurate tractentur et a viris vere peritis conficiantur. Decet eas nonnisi prudenter adhiberi, quando scilicet ab eis sufficiens fructus speratur, de quo speciatim ad episcopos, ut res postulabit, iudicare pertinet, atque maxime cavendum est ne nimia earumdem frequentia, morales instructiones fastidio sint et in contemptum veniant.

In modo autem ad populum verba faciendi, tria praecipue cavenda notantur. Primum est obscuritas, qua concionatores multi dicta omnia ita fere obnubilant, ut ii ipsi quibus dictum est : *Vos estis lux mundi* [1], et qui proinde perspicuis sermonibus claram omniumque mentibus attemperatam doctrinam proponere deberent, praepostero labore longe arcessita vaniloquia disquirant, et dum politiorem stilum affectant, Christi fidelium captum superantes, eos ieiunos dimittant, verumque ostendant illud Scripturae : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* [2].

Secundum, illudque deplorabilius, est profanum quoddam concionandi genus christianaeque pietati haud parum disso-

[1] Matth., v, 14.

[2] Thren., IV, 4.

nans, in quod Sacrae Scripturae incuriosi praedicatores incurrunt. Audiant ipsi egregia summi Pontificis Leonis XIII verba, quibus ostendit divinas Literas eloquentiae sacrae fontem esse praecipuum, quum ait : « Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti « profecta ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque « tribuit eloquentiam ». Atque « hoc etiam...... assentiendum « est, inesse in sacris Literis mire variam et uberem magnisque « dignam rebus eloquentiam » [1].

Moderni autem aliqui praecones eo usque insipientiae progressi sunt, ut, fonte illo aquae vivae salientis in vitam aeternam derelicto, missis etiam sanctis Patribus atque Conciliis, ad cisternas dissipatas humanae sapientiae confugiant, ex profanorum scriptorum libris, etiam hodiernorum, fragmenta consarcientes, eaque saepius vehementer suspecta, quibus insulse conciones suas infarciunt.

Tertium in eo situm est quod ad praesentis vitae bona temporalisque societatis commoda praedicatio religionis tota referatur, quasi nec de futura vita, nec de christianis obligationibus, nec de divina iustitia esset amplius disserendum. Ex quo fit ut, loci sacri maiestate contempta, ecclesia velut in theatrum mutetur quo conveniant homines, non ad divini verbi suavitatem gustandam, neque ad concupiscentias refrenandas, sed ad placentia sonantiaque verba de *progressu*, de *patria*, de *hodierna scientia* audienda, quales accesserunt, tales post concionem recessuri, quemadmodum ii de quibus aiebat sanctus Augustinus : « Mirabantur, sed non convertebantur » [2].

---

[1] Encyc. *Providentissimus*, 18 nov. 1893.

[2] In Matth., xix, 25. Vide in App. Lit. S. Cong. EE. et RR., *De S. Praed.*, 31 iulii 1894.

DECRETUM X

DE OBEDIENTIA PRAESULIBUS PRAESTANDA

Quae circa obedientiam, quam sacerdotes praestare debent suis praesulibus, a primo Baltimorensi Concilio sapientissime sancita sunt, pro hac Provincia Marianopolitana statuimus et promulgamus, ut a Patribus Concilii Quebecensis Quinti, decreto septimo, iam fuit statutum et promulgatum.

« Quoniam saepius a quibusdam in dubium revocatum est, « an competeret praesulibus Ecclesiae, in hisce Foederatis « Provinciis, facultas sacerdotes in quamlibet dioeceseon « suarum partem ad sacrum ministerium deputandi, eosque « inde, prout in Domino iudicaverint, revocandi ; monemus « omnes sacerdotes in hisce dioecesibus degentes, sive fuerint « in eis ordinati, sive in easdem cooptati, ut memores promis- « sionis in ordinatione emissae, non detrectent vacare cuilibet « missioni ab Episcopo designatae, si Episcopus iudicet suffi- « ciens ad vitae decentem sustentationem subsidium illic haberi « posse, idque munus viribus et valetudini sacerdotum ipsorum « convenire. Hac autem declaratione nihil innovare volumus « quoad illos qui parochialia obtinerent beneficia ; neque « ullatenus derogare intendimus privilegiis quae Religiosis « fuerint a S. Sede concessa ».

DECRETUM XI

DE RELATIONIBUS FACIENDIS EPISCOPO

Ut tanto munere pascendi animas et regendi bene fungamur, nemo non videt quanti sit momenti ut Boni instar Pastoris oves nostras cognoscamus, et apprime nobis innotescat quid in singulis paroeciis vel missionibus fovendum sit, quid corrigendum. Qua de causa, relationes in quibus unusquisque parochus vel missionarius statum morum et religionis sua in paroecia vel missione, ordine exposuerit, quotannis ante calendas septembris, ad suum Episcopum dirigi iubemus.

DECRETUM XII

DE CATECHESIBUS

Singulis diebus dominicis, integro anni cursu, quoad possibile sit, in quaque parochiali ecclesia, fiant catecheses, in quibus genuinum catechismi provincialis sensum, simplici sermone, animarum pastores enodabunt.

Curent animarum pastores ut pueri, opportunis instructionibus disponantur ad primam confessionem ; et ut prima vice

ad sacram synaxim accessuri, rite sint parati, atque ad diiudicandum corpus Domini facti fuerint idonei. Idcirco per catecheses non paucas aut obiter factas, sed frequenter repetitas, serio matureque praeparatas instituantur. Quoad autem tempus per quod fieri deben catecheses, aetatemque qua pueri admitti possunt, praescriptiones Rituali adiunctae adamussim serventur.

Pastores animarum operam daturos esse confidimus, ut catechesibus dominicalibus, saltem per unum annum post susceptam prima vice communionem, pueri adsint, ut melius praecepta Dei et Ecclesiae ediscant, fusiusque dogmata catholicae fidei edoceantur.

DECRETUM XIII

DE REGESTIS PAROCHIALIBUS

Cum maximi momenti pro familiarum et Status et Ecclesiae bono sint regesta in quibus authentice inscribuntur baptismi, matrimonia et sepulturae, parochi et alii ad quos spectat, libros illos summa cura conscribant, et adamussim leges tum ecclesiasticas tum civiles de hac materia latas observent. Formulas edictas sequantur, nihil de praescriptis omittentes. Acta statim in utroque libro perscribant, et a personis, quarum interest, subscribi coram se curent post lectionem factam.

Liber confirmatorum contineat, praeter nomen Episcopi confirmantis, nomina et aetatem confirmatorum, necnon nomina patris et matris, et patrini vel matrinae, cum notis quae de eorum identitate nullum dubium relinquant, quando quaestio erit de probando cognationis spiritualis impedimento. Huius inscriptionis exemplar parochi attestatione munitum statim post confirmationem transmittatur [illegible]etario Ordinarii, in archivis servandum.

Hos autem libros et alios omnes qui ad parochiam spectant, accurate servent parochi, ita ut in tuto sint contra pericula furti, aut incendii, aut corruptionis.

Sciant insuper parochi se rem nobis gratissimam facturos si librum apud se habeant, in quo status animarum respectivae paroeciae accurate referatur (*livre de recensement*), qualis a Rituali Romano describitur, eumque in archivo una cum aliis supradictis custodiant.

DECRETUM XIV

DE VITA ET [illegible]ONESTATE CLERICORUM

Tridentinorum Patrum vestigiis insistentes, omnes et singulos in sacris ordinibus constitutos admonemus, ut semper memores sint « nihil esse quod alios magis ad pietatem et Dei « cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui « se divino ministerio dedicarunt : cum enim a rebus saeculi

« in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in « speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque » exemplum « sumunt quod imitentur.

« Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini « vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, « gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, « moderatum ac religione plenum prae se ferant ; levia etiam « delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum « actiones cunctis afferant venerationem » [1].

Sint igitur sobrii, prudentes, ornati, pudici, fiant ex animo forma gregis, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate : ita ut eorum vita communis sit omnium disciplina : quatenus per tacitam praedicationem bonae vitae malos redarguant, vitiosos erubescere cogant, et os loquentium iniqua obstruatur.

Ut autem fervor pietatis in eorum animis foveatur ac vividius in dies exardescat, praeter devotam divini officii recitationem, curent frequentem sacramenti poenitentiae usum, quotidianum conscientiae examen, piasque lectiones nunquam negligere. Et quoniam *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* [2], ideo mentali orationi quotidie incumbant, ita ut proprio experimento discentes quot et quanti spirituales fructus ex sancta meditatione fluant, ad illam etiam devotos fideles efficaciter informare possint.

Sed impossibile est ut de mundano pulvere non aliquantisper etiam religiosa corda sordescant : singulis igitur annis non praetermittant spiritualibus exercitiis operam dare, et pastorali-

[1] Sess. XXII, *De Reform.*, cap. I.

[2] Jerem., XII, 11.

bus secessibus, quos indixerit episcopus, interesse sedulo curent, ut hic, si quae maculae ipsis adhaeserint, abstergi possint, et inde mentis acies ad coelestia contemplanda vividior, et voluntatis vires ad omne opus bonum amplectendum et persequendum firmiores evadant.

Bonum ex integra causa ; malum ex quolibet defectu. Bene ergo omnia faciant, tanquam veri imitatores Christi ; bonum secundum ordinem operentur ; certam vitae regulam habeant, nec ab ea recedant, nisi quaedam imperet necessitas aut charitas urgeat.

Eiusdem sacrosancti Concilii Tridentini decretis inhaerentes, praecipimus clericos vestes proprio congruentes ordini deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, honestatem intrinsecam ostendant. Itaque, non nisi tonsura insigniti vesteque talari nigri coloris superinduti incedant. Si qui in itinere constituti nequeant absque gravi incommodo supradictam vestem retinere, saltem induantur veste oblongiori, eiusdem coloris, huiusque formae, unde eorum modestia omnibus innotescat ; et ipsi gravitatis, honestatisque clericalis perpetuo et ubique meminerint.

Nullus in sacris ordinibus constitutus tonsuram clericalem habitualiter omittere praesumat, nisi ob impossibilitatem ab Ordinario recognitam.

Quando clerici vestem talarem, itineris causa deponunt, volumus, ut ubique, etiam extra hanc provinciam, collari romano retento, veste nigra quae infra genua producatur, induti, viros ecclesiasticos se profiteri glorientur.

Quoniam tristissimis hisce temporibus spiritus omnia innovandi haud paucos seducit, et ex una novitate in aliam procedi potest, clericis commendamus ut comam et barbam studiose,

aut laicorum more, ne nutriant. Volumus etiam ut disciplinae unitas et perfecta cum Ecclesia Romana, omnium magistra, conformitas in omnibus ecclesiasticis servetur.

Et quoniam munia ecclesiastica nequeunt, nisi cum iniuria in Deum, salutis detrimento, et Ecclesiae dedecore, ab ignaris exerceri, omnibus clericis strenue demandamus ut attendant lectioni et doctrinae, ac scientiae sacrae acquirendae perseveranter se tradant. Caveant autem ne curioso desiderio adducti omnia sciendi, quoscumque libros aut potius libellos velint acquirere, domi retinere, vel cum animae suae detrimento legere : damnatos et vetitos libros respuant ac penitus reiiciant, nec alios habeant nisi sanam et probatam doctrinam continentes, modestiae et honestati consentaneos, quos ita testamento relinquere possint, ut, etiam post mortem, Ecclesiae utiliter inserviant.

Bonorum autem studiorum zelum et amorem maxime promovebunt collationes ecclesiasticae, circa quas ea serventur quae infra statuuntur [1]. Neminem enim latet quanta sit ipsarum utilitas, non solum ad mutuam inter sacerdotes charitatem confovendam, sed etiam ad ipsos in doctrina sacra informandos confirmandosque.

« Ut secure praesse possint sacerdotes », ait S. Bernardus, « subesse et ipsi cui debent non dedignentur ». Episcopo igitur suo obediant, eique subiaceant : ipsi reverentiam promissam, et debitum obsequium, semper, ubique et in omnibus praestent. Quidquid vetat, fugiant : quidquid mandat, prompto et alacri animo fideliter exsequantur, ita ut omnes, humili subiectione, summaque animorum

[1] Vide tit. VII, decr. IV.

cum Episcopo consensione, collatis in unum studiis, *in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*, vires suas unanimiter impendant.

Clericos insuper obsecramus in Domino, ut omnes ad eamdem ministerii sortem vocatos tanquam fratres habeant, eosque charitate prosequantur. Sint omnes unanimes, inter se concordes, *idipsum sentientes, honore invicem praevenientes.* Infirmos in fide et pietate relevent et sustineant, afflictos consolentur, delinquentes blande ac suaviter admoneant, absentes obtrectatione ne lacerent, sed magis excusent; *omnia in charitate fiant.*

Quapropter, honore invicem praevenientes, omnimoda suavitate, modestia et urbanitate inter se conversentur; a quolibet vulgaris familiaritatis signo abstineant, etiam privatim, sed praecipue coram laicis et iunioribus clericis.

Memores vocationis suae sanctae, qua vocavit eos Deus ad collaborandum Evangelio, alteque in animo infixum habentes, se non ad otium et ignaviam, sed ad salutares pro Ecclesia Dei et animarum salute labores obeundos esse vocatos, sacerdotes Domini fugiant otiositatis et ignaviae vitium, quo nihil a viro ecclesiastico magis alienum esse debet, quodque tam multorum malorum fons est et origo.

Christi mansuetudinis imitatores, evitent quae sancti canones, sive quoad venationem, sive quoad medicinae et chirurgiae exercitium prohibuerunt.

Paupertatis amatores, ne thesaurizent sibi thesauros in terra: modestiae ac sanae mediocritatis sectatores, sordidam negligentiam aeque ac saeculi pompam, in vestitu, in supellectili et in omnibus sedulo devitent.

Caveant summopere ne pro aliis fideiussores se constituant,

nisi patrimonium ad id sufficiens habeant ; et ne graventur aere alieno semper invigilent.

Publicis spectaculis ne intersint ; illos actus fugiant qui sive mundanitatem, sive immodestiam, sive intemperantiam redolerent, a mundanarum personarum societate, a conversationibus, choreis, aliisque illicitis lusibus, ac demum ab omnibus quae sacerdotem non decent, omnino abstineant.

Cum mulieribus omnem consuetudinem devitent, quae offendiculum parere possit. Quoad ancillas, vel etiam consanguineas, ea quae sapienter praescripsere canones, atque statuta sive provincialia, sive dioecesana, de ipsarum aetate aliisque dotibus, religiose servent ; ut sic non solum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali, caveatur.

Ne familiam suam extollere satagant supra nativam ipsius conditionem, neque domum presbyteralem a consanguineis et affinibus invadi tolerent ; quum tamen et laudabile erit opus propinquis suis in quibus apparent signa religiosae vel sacerdotalis vocationis, auxilium ferre [1].

Denique Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX verba usurpantes [2], viros omnes ecclesiasticos huius Provinciae monemus, hortamur et excitamus, quo orationi instantes, spiritu ferventes, ac pie sancteque viventes, « praebeant in « omnibus seipsos exemplum bonorum operum ; et Dei gloriae « et animarum salutis zelo incensi atque arctissimo inter se « charitatis vinculo obstricti, accipiant armaturam Dei et con« cordissimis animis, coniunctisque viribus, sub proprii « Antistitis ductu, in aciem prodeant et praelia Domini fortiter « praelientur [3] ».

---

[1] Conc. Queb. Prov. VI, decr. VII.
[2] Allocut. maii 1850.
[3] Conc Queb. Prov. II, decr. XIV.

DECRETUM XV

UT CLERICI DE BONO NOMINE CURAM HABEANT

Omnibus hominibus, sed praesertim clericis qui ad caeterorum aedificationem peculiariter incumbere debent, edicuntur illa Sancti Spiritus oracula : *Curam habe de bono nomine* [1], et *Melius est nomen bonum quam divitiae multae* [2].

Propterea Apostolus saepissime monet ut nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant seipsos sicut Dei ministros ; ut sint providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, et, si fieri potest, quod ex ipsis est, cum omnibus hominibus pacem habeant ; ut sollicite curent seipsos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis ; ut tandem, *in omnibus* seipsos praebeant *exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum, irreprehensibile ; ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* [3].

Sint igitur clerici ita ab omni superbia, ira, immunditia et avaritia alieni, ita prudentes in verbo et opere, tantae vigilantiae in omni conversatione, et tantae sobrietatis, ne ulli quidem

[1] Eccli., XLI, 15.
[2] Prov., XXII, 1.
[3] Tit., II, 7, 8.

suspicioni dent locum. Monita et consilia circa hanc materiam sibi oblata non respuant, ne illud Prophetae maledictum mereantur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* [1].

DECRETUM XVI

NE CLERICI EXERCITIO MEDICINAE SESE IMMISCEANT

Nemo militans Deo, ait Apostolus, *implicat se negotiis saecularibus* [2]. Propterea clericis prohibetur quidquid est vel minus decorosum statui clericali, vel pugnat cum sanctitate aut mansuetudine ministrorum Christi, vel tandem eos retrahit ab obligationibus quibus tenentur ex munere quo funguntur, aut ex voto quo ligantur.

Inter negotia saecularia quae prohibentur clericis, eminet medicinae et chirurgiae exercitium. Revera sub poenis ecclesiasticis non cadunt chirurgiae actus qui adustionem vel incisionem non inducunt [3]; attamen de exercitio medicinae, Ecclesiae voluntas satis patet ex diversis legibus quas de hac materia tulit.

Concilium Lateranense, decimum inter Oecumenica, sub

---

[1] Is., V, 21.

[2] II Tim., II, 4.

[3] Cap. IX, *Ne clerici vel monachi.* (Decretales Greg. IX).

Innocentio II, anno 1139, hoc prohibet regularibus quia, inquit, « neglecta cura animarum, ordinis sui propositum non « attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, « humanorum se faciunt corporum curatores ; cumque « impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa de quibus « erubescit honestas, non debet religio tractare ». Quae sane motiva valent etiam pro clericis saecularibus.

Alias rationes gravissimas affert Honorius III. « Quia vero, inquit, theologiae studium cupimus ampliari... ut sit fides « catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum [1] », prohibetur clericis beneficiatis et omnibus presbyteris, ne studeant medicinae ; ergo a fortiori ne eam artem exerceant : qui enim aufert media necessaria, finem intendere non potest.

Innocentius III [2] declarat « multum deliquisse alienum « officium usurpando » et ad tempus a celebratione suspendit quemdam presbyterum qui, licet peritissimus et diligens, causa pietatis et non cupiditatis, tumorem curaverat in muliere quae postea, per propriam imprudentiam, sibi mortem causaverat.

Haec prae oculis habeant huiusce Provinciae clerici et presbyteri, et Sanctae Matris Ecclesiae sensum diligenter attendant. Forte olim necessitas, propter paucitatem medicorum in hac regione, quamdam excusationem praebere potuit, nunc autem rarissime haec necessitas invocari potest, et propterea, nisi agatur de aliquo casu particulari, petenda erit licentia ab Apostolica Sede. Si igitur, quod absit, inveniatur clericus aut presbyter in hac materia delinquens, sciat se ab Ordinario posse censuris innodari.

---

[1] Cap. II, *Ne clerici vel monachi.* (Decretales Greg. IX).

[2] Cap. XVIII, *De homicidio.* Ibid.

DECRETUM XVII

NE CLERICI NEGOTIIS SAECULARIBUS DENT OPERAM

Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus [1]. Haec Pauli monita memorans, sacerdotibus dicebat Concilium Quebecense II : « Caveant ne contra sacros canones, lucri « causa, negotientur. Omnem avaritiam fugiant, scientes quod « qui volunt divites fieri incidunt in varias tentationes, et in « laqueum diaboli » [2]. Negotiatio proprie dicta, quae in hoc consistit quod quis quasdam res emat viliori pretio, et easdem arte sua non elaboratas ac perfectas vendat maiori pretio, lucri causa, clericis semper quidem prohibita fuit : nunc autem visum est, propter adiuncta temporum, has sanctiones renovare. Itaque viros ecclesiasticos in sacris constitutos iterum monemus, et renovantes canonum praecepta, edicimus « ne rerum « bonorumve quorumlibet, aut pecuniae, mercaturam faciant ; « ne quaestuosas suo nomine, vel sub alieni nominis involucro, « negotiationes exerceant : ne aliena praedia lucri causa con- « ducant » [3].

Sciant sacerdotes se a Deo in pastores dominici gregis, in scientiae divinae custodes, in mysteriorum Dei dispensatores,

[1] II Tim., II, 4.

[2] Decr. XIV, nn. 15, 16.

[3] Conc Balt. II, n. 157.

fuisse electos, non autem in conquisitores huius saeculi. Meminerint ergo legum quibus regitur ipsorum status, eiusdemque servetur honor et decus. Quod si, nefando lucri aestu in varias negotiationes abrepti, harum sanctionum fuerint obliti, sciant se a mente Christi exulare, atque gravissimas a iure poenas contra huius legis transgressores esse statutas.

Quoad illos sacerdotes qui, negotiationem stricte et proprie dictam forte vitantes, nomen aliquando dant, vel ex redditibus suis suppeditant pecuniam, diversis illis institutionibus in quibus res emuntur quidem et venduntur, sed mutata ipsarum forma et natura, atque ideo vitata proprii nominis negotiatione, vel etiam quibusdam societatibus quae, non sine magna difficultate et per ambages multas, notam mercaturae prohibitae putantur vel dicuntur vitare ; sciant ac meminerint : 1. redditus ecclesiasticos suapte natura operibus piis destinari ; ac propterea, periculis ac fluctuationibus non esse fas eosdem sine necessitate exponere ; unde, nihil his in rebus aggrediantur sacerdotes *inconsulto Episcopo* ; 2. semper viro ecclesiastico, in sortem Domini vocato, nefas esse desiderium fovere turpis lucri ut dives fiat ; 3. a multis ex illis institutionibus non abesse periculum usurae, cambii activi, vel cuiusdam mercaturae sub alio nomine latentis ; 4. saepe in iis esse, vel ex illis oriri, *desideria multa inutilia*, imo *nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem* [1] ; 5. non raro etiam has occupationes quibus viri clerici, sive ipsi immediate, sive alieno nomine detinentur, gregi fidelium maximo esse scandalo. Haec attendentes rei divinae ministri facilius toti erunt in iis quae sunt ad Deum, sapientes et quaerentes quae sursum sunt, non quae

[1] I Tim., VI, 9.

super terram. Itaque sicut operariis inconfusibilibus, contra avaritiam, contra oblivionem rerum aeternarum, contra nimiam bonorum temporalium prosequutionem, cum fructu populos licebit sacerdotibus docere quia et ipsi coeperint facere.

Insuper quoniam definit Sancta Synodus Chalcedonensis [1] « neminem...... clericum debere se saecularibus possessionum « administrationibus ingerere », haec Synodus...... renovans quaedam iam antea sancita, et iterum declarans iuris ecclesiastici praecepta, prohibet :

a) Ne aliorum in negotiis, inconsulto Episcopo, procuratores fiant ;

b) Ne cuiusvis curam ac tutelam praeterquam suorum, aut officium executoris testamentarii pro laicis, nisi Episcopo consentiente, suscipiant ;

c) Ne publicum munus vel officium quodcumque acceptent, sive a Gubernio, sive per electionem a populo datum fuerit, nisi de licentia Ordinarii, penes quem erit, in quocumque casu, declarare utrum illa munera vel officia sint acceptanda nec ne ; attamen Patres nihil mutare volunt in statu rerum hac in Provincia quoad eos qui talia munera vel officia in scholis administrandis acceptanda in posterum ducerent *(Commissaires d'écoles)* ;

d) Neque, inconsulto Episcopo, pecuniam mutuo accipiant ea lege ut foenore ob aliquem iustum titulum auctam statuto tempore restituant.

---

[1] Can. 3.

DECRETUM XVIII

DE CLERI MUNERE CIRCA ELECTIONES POLITICAS

In hac provincia, sicut aliis in locis, quotiescumque de Coetus Legiferi (*Parlement*) membris eligendis agitur, a quorum votis catholicorum fides et incolumitas, et Ecclesiae iura libertasque detrimenta pati possunt, religionis bonum et Ecclesiae libertatem exigere putamus ut hominibus probis et religionis catholicae minime adversis munera haec conferantur. Attamen extra ecclesias, sine tumultu, absque charitatis violatione, et cum debita subiectione instructionibus in communi ab Episcopis huius provinciae promulgatis, ne dissensiones inter fideles oriantur, et cum ea moderatione, quae catholicae professioni, etiam in civilibus, omnino convenit, relicta unicuique in dubiis libere sentiendi facultate, de omnibus huiusmodi rebus agendum esse arbitramur.

DECRETUM XIX

DE TESTAMENTO AB ECCLESIASTICIS VIRIS CONDENDO

Ecclesiastici viri, dum sani adhuc mente et corpore sunt, testamentum conficiant, nec differant ad senilem aetatem, ita

ut festinatim et inconsulto, cum gravi erunt infirmitate detenti, illud peragere cogantur, ut vitentur lites et discordiae ; eorum enim maxime interest, ut, nedum spiritualibus, sed et ipsis quoque temporalibus rebus, antequam moriantur, rite opportuneque disponendis, tempestive prospiciant, i.e, quod Christi pauperibus aut Ecclesiae relinquere debent, transeat ad familiam ditandam. Et ad hoc quidem gravius ipsi tenentur, si ex iis sint, qui alienam pecuniam prae manibus habent, aut alia quaecumque bona sibi a fidelibus vel a fabrica concredita, in designatos usus impendenda, specialiter pro missis celebrandis ; illorum siquidem frustrabuntur fidelium voluntates, nisi aliis notae fiant, implendaeque relinquantur. Sed, et extra hunc casum minime sane laudarentur ecclesiastici viri, qui, cum tanta sit facilitas testamentum conficiendi, et revocandi per schedas sic dictas *olographas*, intestati decederent. Porro curent, qui testamentum olographum conficiunt, ut nulla ipsum careat ad valorem necessaria conditione, tum denique probatae fidei personae custodiendum committant, ne forte ab haerede legitimo, vel ab aliis quorum intersit haereditatem ab intestato deferri, occultari ipsum, aut destrui contingat.

Singulis annis, praesertim tempore annui secessus, unusquisque sacerdos testamentum suum revisat, et si opus fuerit, emendet.

TITULUS III

DE REGULARIBUS

DECRETUM I

DE CONSTITUTIONE "ROMANOS PONTIFICES" SERVANDA

Quantum in Dei Ecclesia splendoris et utilitatis ortum sit atque etiamnum oriatur ex Regularium institutis, mira operum fecunditas lausque virtutum satis comprobant ; nostris autem in regionibus, quam bene de religione et civitate eadem Instituta merita sint, nemo est qui ignoret. Laeto igitur animo grates Deo habemus, quod Provincia nostra Marianopolitana validissimo plurimorum horum Ordinum praesidio ornata communitaque sit. Quapropter clericis et laicis impense commendamus ut religiosas familias et veneratione prosequantur, quod sunt pars selecta gregis dominici, et pio studio foveant ob eximia earum erga nos beneficia.

Cum vero omnia numero, pondere ac mensura fieri oporteat, meliusque sit difficultates praecavere quam eis mederi, Nos, ad summam nostram cum Regularibus pacem perpetuandam, supplicandum ducimus Sanctae Sedi, ut praeclara

constitutio « Romanos Pontifices » a SS. Domino Nostro Leone XIII pro Anglia et Scotia recens promulgata, Statuumque foederatorum ecclesiis iam applicata, ad nostram quoque Provinciam extendatur. Cuius quidem constitutionis praescripta, quo magis omnibus praesto sint, hic summatim exponenda censemus.

Quae agendi ratio intercedere debet inter Episcopos et Regulares, in tria potissimum capita dispertitur : quorum primum Regularium exemptionem ab episcopali iurisdictione tractat ; alterum autem ministeria respicit, quae a regularibus Missionariis exercentur : tertium demum bona temporalia eorumque usum attingit.

Quod quidem ad Regularium exemptionem attinet, decernit Summus Pontifex « Regulares, qui in residentiis Missionum « commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non « secus ac Regulares intra claustra viventes, praeterquam in « casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae « concernunt curam animarum et sacramentorum administra- « tionem ». Declarat insuper « omnes Missionum rectores cleri « collationibus adesse ex officio debere », ac praecipit « ut iis- « dem intersint vicarii quoque aliique religiosi viri missionariis « facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque « missionum domos incolunt ».

Ad Synodum autem dioecesanam accedere tenentur, cum « exempti omnes qui alias, cessante exemptione » eidem « interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur », tum maxime qui curam gerunt parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum ; iidemque Synodalibus « decretis pareant oportet in iis quae ad curam anima- « rum et sacramentorum administrationem referantur,

« ceterisque in rebus in quibus eos Episcoporum iurisdictioni « subesse canonica praecipiunt instituta ». Attamen eis « fas « est appellare *in devolutivo* tantum quoad interpretationem « decretorum, quae de iure communi, sive ordinario, sive « delegato, Regulares etiam afficiant ; quo vero ad interpreta- « tionem aliorum decretorum, etiam *in suspensivo* ».

De regularium autem Missionariorum ministeriis pronuntiat Summus Pontifex « licere Episcopis Missiones dividere, « servata forma Sancti Concilii Tridentini, quoad Missiones « quae sunt vere proprieque dictae paroeciae ; quoad reli- « quas vero, ad formam Synodi I Westmonasteriensis, sen- « tentia quidem rectoris, si adsit, exquisita, et si a religiosis « sodalibus missio administretur, Praefecto Ordinis audito, « salvo iure appellandi *in devolutivo* tantum ». « Episcopus « autem in praeficiendo Rectore Missioni, quae nova erigitur, « ipsos religiosos sodales ceteris praeferre » non tenetur.

Porro Coemeteria « quae solis familiis reservantur plane « ab Episcopi iurisdictione proindeque a visitatione exempta « sunt, cetera vero fidelium multitudini communia optimo iure ab Episcopo visitantur ».

« Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimi- « tur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest « Episcopus sive ordinario iure, sive delegato ».

Praeterea scholas parochiales pauperum Episcopus ius habet « quoad omnia visitandi in missionibus et paroeciis « regularibus aeque ac in saecularibus. Alia profecto causa est « ceterarum scholarum et collegiorum in quibus religiosi viri « secundum Ordinis sui praescripta iuventuti catholicae insti- « tuendae operam dare solent ; in hisce enim et ratio postulat » et vult Pontifex ut privilegia quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, firma atque integra maneant.

« Sodalibus » vero « religiosis nova sibi sedes constituere, « erigendo novas ecclesias aperiendove coenobia, collegia, « scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et « Sedis Apostolicae, non licet, imo nec ea quae instituta sunt, « in alios usus convertere, nisi agatur de conversione quae, « salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum « regimen et disciplinam regularem ».

De temporalibus missionum bonis decernit Summus Pontifex « religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere « debere de pecunia intuitu missionum sibi allata et quantum « de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios cleri « saecularis ».

Quid autem « censendum sit intuitu missionum collatum » recte statuit concilium Provinciale Westmonasteriense II, in capite *De Bonis Ecclesiasticis*, simul innuens quae potestas insit Episcopis imperandi pecuniae collationes, decernendique pro tempore et qua de causa conferri oporteat ; atque constituit Summus Pontifex « hac in re religiosos ad leges » huius « Synodi sese affatim accommodare debere » [1].

DECRETUM II

DE ALUMNORUM IN SACRIS CONSTITUTORUM EGRESSU EX RELIGIOSIS INSTITUTIS

Ut pluribus incommodis occurreret, quae ex eo praesertim eveniunt, quod religiosis votorum tum simplicium, tum solem-

---

[1] Vide in App. textum Constitutionis *Romanos Pontifices*.

nium, facilior e suis institutis egressus patet, postquam ad sacros etiam ordines evecti sunt, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, de expresso Sanctitatis Suae mandato, die 4 novembris 1892, decretum *Auctis* edidit ubique locorum et perpetuo valiturum. Edocti nos quantopere nova haec disciplina et ecclesiastici ordinis decori et dioecesium iuribus bonoque consulat, ad praefati decreti accuratam observantiam, maxime circa ea quae ad nos spectant, in nostra Provincia promovendam, praecipuas eiusdem dispositiones heic compendio exhibitas referri volumus. .

Nullus alumnus Instituti votorum simplicium ad sacros ordines, titulo mensae communis vel missionis, in posterum promoveatur, nisi qui vota perpetua iam emiserit et proprio Instituto stabiliter aggregatus fuerit, vel saltem per integrum triennium permanserit in votis temporaneis, quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem.

Alumnus autem Congregationis votorum solemnium ad sacros ordines ne evehatur quin prius solemnem professionem emiserit.

Quod si legitima causa occurrat cur quispiam sacros ordines suscipiat, triennio nondum expleto, petatur ab Apostolica Sede dispensatio ut Clericus vel professionem solemnem vel vota simplicia perpetua anticipare valeat.

Methodus iuridica quae Urbani VIII et Innocentii XII iussu a Superioribus Ordinum Regularium servari debet in expellendis propriis alumnis, eadem servanda imponitur Superioribus Institutorum votorum simplicium, quando agitur de aliquo alumno, vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto, dimittendo. Cum autem iuridice sit

procedendum, horum nemo dimittatur, nisi culpa sit gravis, externa et publica, et sons sit praeterea incorrigibilis. Si quandoque gravibus de causis summario modo agendum sit, tunc recursus habeatur ad Sanctam Sedem. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum vel temporalium in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a Sancta Sede eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

Qui autem, in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint : secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur ad alumnos quoque votorum simplicium tempo[illegible]ui professionis vinculo iam forent soluti ob elapsum tem[illegible] vota ab ipsis nuncupata fuissent.

Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi testimoniales literas exhibeant quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo [1].

---

[1] Ad proposita dubia :

I. Utrum nunc, post decretum *Auctis*, Instituta votorum simplicium libere possint, sine Indulto speciali, alumnis suis dimissoriales literas ad ordines concedere ?

DECRETUM III

DE TESTIMONIALIBUS ORDINARIORUM LITERIS IN RECEPTIONE AD HABITUM RELIGIOSUM REQUIRENDIS

Regularium familiarum bono et splendori prospicere volentes, amotis indignis qui non sine maximo earum detrimento ingressum obtinerent, sedulo servandum urgemus in Provincia nostra decretum a SS. D. N. Pio PP. IX, felicis memoriae, anno 1848 editum, de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione eorum qui ad habitum religiosum admitti postulant.

II. Quatenus affirmative :

Utrum haec decisio restringenda sit ad Instituta votorum simplicium a S. Sede approbata, vel applicanda etiam ad Instituta simplicium sola episcopali auctoritate et approbatione munita ?

III. Utrum nunc, post decretum *Auctis*, Instituta votorum simplicium libere possint, sine Indulto speciali, alumnos suos promovere ad ordinem sacrum titulo mensae communis vel alio simili ?

S. Cong. Episc. et Reg. censuit rescribendum :

Ad I. Negative.
Ad II. Provisum in primo.
Ad III. Negative.
Die 12 feb. 1894.
Vide in Append. textum decr. *Auctis*, die 4 nov. 1892.

Huius autem decreti, nostris praesertim temporibus tam utilis, praecipuae hae sunt dispositiones.

« In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Monas« terio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive sim« plicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, « Societatibus, Institutis, Monasteriis ac Domibus, quae ex « peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio « quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, « nisi de ipsis specialis, individua, expressa mentio fiat, nemo ad « habitum admittatur, absque testimonialibus literis tum Ordi« narii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post « expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum « moratus fuerit ».

Quid autem iis in literis declarandum sit ab Ordinario sive originis sive domicilii ultra annum prorogati, clare et distincte, statuit Summus Pontifex : « Ordinarii debent in « praefatis literis testimonialibus, postquam diligenter exquisi« verint, etiam per secretas informationes, de Postulantis « qualitatibus, referre de eius natalibus, aetate, moribus, vita, « fama, conditione, educatione, scientia ; an sit inquisitus, « aliqua censura, irregularitate, aut alio aliquo impedimento « irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius admi« nistrationis rationi obnoxius ».

Addit Ordinarios « in eis tamen praemissis singulis articu« lis ea tantum testari debere, quae ipsi ex scientia affirmare « posse in Domino iudicaverint ».

Praesens autem decretum conscientiam tum Ordinariorum tum Superiorum regularium aliorumque religiosorum ad quos spectat, graviter onerare, patet ex decreti ipsius verbis et poenis

contra delinquentes statutis. « Sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere ; « nec ipsis unquam liberum esse huiusmodi testimoniales literas « denegare ».

« Omnibus et singulis superioribus regularibus, aliisque religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et instituti « licet exempti, etiam in virtute sanctae obedientiae huius « decreti observantia districte praecipitur : et qui contra huius « decreti tenorem, aliquem ad habitum religiosum receperit, « poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et « perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso « incurrant, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari ».

« Nunquam autem huic decreto derogatum esse censeatur, « nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione « derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur », et « si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super « eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime « extendi vi poterit cuiuscumque privilegii, et communicationis « privilegiorum ». Adnotari tamen debet testimoniales Episcoporum literas hoc decreto requiri, non licentiam eorum aut approbationem pro admissione postulantis ad habitum religiosum.

Tandem, ne oblivioni detur tam opportuna legislatio apostolica, statuit Summus Pontifex ut « quolibet anno die « prima ianuarii in publica mensa hoc decretum legatur sub « poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a superioribus ipso facto incurrenda ».

TITULUS IV

DE CONGREGATIONIBUS SORORUM RELIGIOSARUM

DECRETUM I

DE SORORUM RELIGIOSARUM DISCIPLINA

Insigne Dei beneficium est regionem nostram ornari tam multis piis religiosarum Sororum institutis, quorum nonnulla in hac ecclesiastica Provincia primum exorta, non solum heic feliciter adoleverunt, sed in remotissimas Americae partes penetrarunt. Eorum cura est puerulos puellasque educare, opitulari egenis, invisere aegros eorumque valetudini assidere, moribundis subvenire, orphanorum curas suscipere, uno verbo eo convolare ac praesto esse, ubicumque animarum sit curanda infirmitas, sive corporum levanda aegritudo leniendusve dolor.

Dubitari autem non potest quin tam laeta incrementa, quibus huiusmodi Congregationes paucos intra annos cum tanta Ecclesiae utilitate auctae apud nos sunt, tribui maxime debeant studio, quo divina opitulante gratia intendunt ad

christianam sodalium perfectionem promovendam atque ad suarum Constitutionum disciplinam sancte servandam.

Nostrarum ergo partium est non solum eas meritis efferre laudibus, sed etiam earum Instituta peculiari cura prosequi, et pro viribus efficere ne unquam priscus pietatis ardor refrigescat, aut disciplinae nervus relaxetur.

Ut autem suae sanctae vocationis spiritum religiosae sorores foveant, diligenter caveant ne mente ad exteriora diffluant; sed semper intentas Spiritui Sancto cordis aures praebentes, ab omni otiosa cum extraneis, sive laicis, sive clericis, communicatione abstineant.

Nunquam exeant Sorores e septis monasterii nisi iuxta praescriptas regulas. Nulli vero saeculari liceat, conventus invisendi causa, sanctimonialium ingredi dormitorium, cellas aut valetudinarium.

Nec apud ullam Sororum Communitatem diversari permittimus iuvenes aut caelibes hospites sive clericos sive laicos; vir autem cum uxore hospitio non recipiatur sine expressa Ordinarii licentia.

Statuimus etiam et mandamus ne sanctimoniales eleemosynas colligant, extra locum domicilii sui, sine scripta licentia Ordinarii [1]: nec solae mittantur ad collectiones faciendas; sed semper comitem habeant sanctimonialem alteram, aut saltem probatae fidei personam. Porro difficili hoc munere fungi non debent, nisi quae sint spectatae virtutis et, si fieri possit, maturioris aetatis. Nunquam collectiones

[1] Cf. decret. S. Cong. Episc. et Regul., 27 martii 1896. *Singulari quidem*, in Append.

instituant post solis occasum, et, cum opportunitas aderit, divertant in aliquam religiosam domum.

Tandem propinquorum nomine, quorum exequiis interesse regula permissum est, volumus intelligi parentes, fratrem sororemve; si autem exequiae celebrantur extra dioecesim, Ordinarii licentia opus erit.

DECRETUM II

DE BONORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE

Quum administrationem tantum, non vero proprietatem bonorum et redituum Communitatis suae habeant Superiorissae, cavendum ipsis est ne quidquam in alienos usus, aut in res supervacaneas et religiosae paupertati repugnantes, expendant. Si quid vero pecuniae ex legatis, donis, residuisque reditibus proveniens collocandum sit, consultius erit immobilia bona, omni hypotheca atque onere libera emere, quam privatis personis aut mensis argentariis pecuniam foenori, iusto etiam titulo, credere. Cuiusvis vero negotiatoriae societatis obligationes comparare, nec periculo vacuum est, nec sine venia Apostolicae Sedis licet.

Novis fundationibus condendis numquam animum admoveant, humano consilio augendae rei multiplicandique domus. Sed hac in re, sedulo rerum omnium adiuncta perpendant, Dei gloriam animarumque salutem unice spectantes. Conside-

rent autem praesertim utrum nova fundatio aliquid detrimenti piis institutis praexistentibus, ob rerum inopiam sit allatura, et rem non aggrediantur nisi antea diligenter providerint ut ea omnia sint in promptu, quae ad felicem incoepti successum requiruntur. Imparibus enim viribus huiusmodi aggredi opera, certum afferret religiosae vitae atque Instituti disciplinae detrimentum.

In extruendis conventibus, xenodochiis, valetudinariis, maxime vitetur quidquid nimis exquisitum apparatum prae se fert et dissidet a munda simplicitate; sed structurae genus modestum simul et decens sit. Licet enim eiusmodi aedificiis eas dimensiones dari oporteat, quae vitae religiosae exercitiis, operum utilitati valetudinisque conservandae consentaneae sint, abhorrendum tamen est a saeculari fastu et magnificentia. « Cavete », filiabus suis aiebat S. Teresia, « ne unquam eius-« modi superba aedificia erigatis. Sin minus, mihi est in « optatis, ut, quo die absoluta, corruant ».

Quae quidem omnia ut sedulo observentur, mandamus ut, si agitur de congregationibus dioecesanis, quoties alicuius momenti constructio erit suscipienda, eius accurata et copiosa descriptio cum indubia aestimatione prius a superiorissis Ordinario dioecesano approbanda deferatur, nullaque postea, nisi forsan tenuis, mutatio vel additio fiat sine nova approbatione. Quoad Instituta a S. Sede laudata vel approbata, standum est constitutioni SS. D. N. Leonis Papae XIII *Conditae*, 8 dec. 1900.

Quum bona communitatum canonice erectarum sint ecclesiastica et subdantur constitutioni *Ambitiosae* Pauli II contra alienationes, meminerint Antistitae se non posse bona harum communitatum immobilia aut mobilia pretiosa alienare, aut ullos actus dicta constitutione prohibitos conficere sine

Beneplacito Apostolico, sub poena excommunicationis latae sententiae, a constitutione *Apostolicae Sedis* renovatae et confirmatae.

Studeant ergo superiorissae se huic gravissimae legi subiicere, nec unquam, inconsulto Romano Pontifice, aliquem alienationis actum facere praesumant, nisi res sit modici valoris, aut agatur de casibus iure exceptis. Sub vetito autem legis speciatim comprehenduntur : venditiones, donationes, renuntiationes bonorum acquisitorum, transactiones onerosae, hypothecae et mutuationes hypothecariae, locationes ultra triennium, contractus emphyteutici. Quibus in rebus, ut tuta sit conscientia et sacris canonibus satisfiat, praeter *Beneplacitum Apostolicum*, requiritur etiam ut alienationis necessitas aut magna utilitas vere existat.

Quod demum ex consensu S. Sedis iam in nostra regione usu receptum est, hoc in Provincia nostra speciali declaratione valere statuimus, nempe : Beneplacitum Apostolicum certo exigi pro alienationibus quae pretium mille nummorum (*dollars*) excedunt, sufficere vero et requiri Ordinarii loci approbationem quandocumque huiusmodi pretium non superatur.

DECRETUM III

DE SERVANDO DECRETO « QUEMADMODUM »

Non raro fit ut optimum quodque, interposita humana fragilitate, in deterius vergat. Sic enim pluribus in regionibus

accidit, ut sapientissimas Ecclesiae leges, quibus reguntur communitates religiosae quoad manifestationem conscientiae necnon confessionem et sacram communionem, intolerabiles abusus sensim sine sensu corrumperent. Quare Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, qua sua est erga religiosas Congregationes paterna benevolentia, decretum illud *Quemadmodum* sanciri iussit, die 17 decembris 1890, quo omnes his in rebus vitiosas consuetudines de medio tolleret pristinamque Ecclesiae disciplinam instauraret.

Omnibus iam notum est hoc decreto affici omnes congregationes tam virorum quam mulierum, etiam votorum solemnium, solis exceptis virorum congregationibus, in quibus sint viri ecclesiastici, etsi laicis aliis intermixti.

Cuius autem decreti dispositiones dum huic nostro Concilio inserimus, iisdem tamen addendas esse censemus tum declarationes a S. Congregatione super negotiis Episcoporum et Regularium postea traditas, tum etiam explicationes quas Sanctae Sedis iudicio et approbationi subiicere volumus.

I

Quoniam sub praetextu manifestandae conscientiae, superiorissae talem quandocumque conscientiae aperitionem exigebant quae sacramenti poenitentiae propria est, et sic ad animarum detrimentum et perturbationem ea deflectebant, quae ad spiritualem pacem et profectum conferre nata sunt; idcirco Sanctitas Sua abrogavit omnes constitutionum dispositiones omnesque consuetudines, quae cordis et conscientiae intimam manifestationem quoquo modo ac nomine respiciunt; quin imo severe iniunxit, ut tales dispositiones ex codicibus

omnino delerentur. Districte insuper prohibuit ne superiores ac superiorissae personas sibi subditas ullo modo inducerent ad conscientiam manifestandam, subditisque praecepit ut denuntient superiores qui id posthac auderent.

Quum vero decretum *Quemadmodum* eo tantum spectet, ut ne obrepant superiores ad ea quae sacramenti poenitentiae foro unice reservantur, minime autem ut enervetur eorum auctoritas ; ideo manet integrum quidquid attinet ad disciplinam rerumque fori externi administrationem.

Per decretum igitur etiamnum licet superioribus, tam viris quam feminis, subditos interrogare de modo quo externa officia expleant serventque constitutiones.

Porro liquet illaesam manere superiores inter et inferiores mutuam iurium et officiorum vicissitudinem, qua exhibetur hinc paterna pietas, illinc filialis observantia ; imo vero decretum « minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire « animum superioribus valeant, ad effectum ab illorum pru« dentia in dubiis ac anxietatibus consilium ac directionem « obtinendi pro virtutum acquisitione et perfectionis pro« gressu » [1].

II

De confessione iam superiores monuerat S. Thomas, ut subditis etiam cum certus confessarius assignatus esset, facillime tamen permitterent alium adire, quia nonnulli sunt « qui « potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita « migrare quam peccata certo alicui sacerdoti aperire ». Quare

[1] Vide in Append. decr. *Quemadmodum*.

Concilium Tridentinum iubet ut bis aut ter singulis annis confessarius extraordinarius monialibus exhibeatur, cui se sistant singulae in confessionali, quin tamen peccata eidem confiteri teneantur. Quam sapientissimam legem monialibus claustrensibus a Tridentino latam Benedictus XIV extendit ad omnes mulieres in commune viventes, etiam puellas in coetibus seu conservatoriis degentes, et praeterea statuit :

1. Ut Episcopi facile concedant moniali aegrotanti confessarium quem ordinario confessario praeferat et petat, sive sibi subdita sit, sive regulari praelato a quo petitam gratiam impetrare non potuerit.

2. Ut confessarius extraordinarius etiam concedatur moniali corpore quidem sanae, sed animo imbecillae, quae ministro ordinario confiteri obstinate recuset, quoniam et ipsa miseranda sit et sublevanda.

3. Ne semper recusetur moniali neque aegrotanti neque obstinatae facultas confitendi alteri, approbato tamen ad monialium confessiones audiendas, modo nulla sit ratio existimandi deesse iustam petendi causam ; quae vero causa esse potest animi quies aut ulterior in via Dei progressus [1].

Has dispositiones confirmat et ampliat Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII, his verbis decreti *Quemadmodum* superius citati : « Praeterea firmo remanente quoad confessarios ordina« rios et extraordinarios communitatum, quod a Sacrosancto « Concilio Tridentino praescribitur [2], et a sa. me. Benedicti « XIV statuitur in constitutione quae incipit *Pastoralis curae*,

[1] Bulla *Pastoralis Curae*.

[2] In sess. XXV, c. 10, *De Regul.*

« Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraor-« dinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriae « conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem « Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre » id ferre demonstrent, ac ne evanida tam provida dispositio « fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioecesis, in « quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes « facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento « poenitentiae recurrere eae facile queant » [1].

Quae dum omnino servari mandamus, ne tamen talis cautio unquam levitati faveat, haec simul responsa ut normam haberi volumus, recens edicta a S. Congregatione Episc. et Reg.

1. Qui concedere debet aut denegare confessarium extraordinarium est Superior qui domui praeest, sive vir sive foemina. Hic autem tenetur subditi precibus indulgere etsi plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut verum ab ipso petente apprehensam. Si Superior renuat confessarium extraordinarium concedere, ius est recurrendi ad Superiorem generalem aut ad ipsum Episcopum. Attamen subditi monentur non posse extraordinarios confessarios petere nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant [2].

2. Qui recurrit ad confessarium extraordinarium, potest quidem eum sibi eligere, sed inter eos tantum, qui ab Episcopo

---

[1] Decr. *Quemadmodum*, n. IV.

[2] Resp. S. Cong. Episc. et Regul. ad Episc. Malacitanum, 17 aug. 1891.

ad hunc effectum approbantur, nisi cui forte alium eligere discrete concessum sit [1].

3. Non licet monialibus semper uti ministerio confessarii extraordinarii, posthabito ordinario. Potest Episcopus redarguere et obstare, si monialis voluit recurrere sine idonea causa [2].

4. Ad confessarii extraordinarii officium pertinet, ut confessionem ne audiat, cum deprehendat causam adeundi se non esse probabilem [3].

5. Si plures imo pleraeque moniales assuescerent confessarium unum ex extraordinariis adire, tuenda est ab Episcopo lex, qua unus unicuique monasterio confessarius deputatur [4].

6. « Moneat Ordinarius moniales et sorores de quibus « agitur, dispositionem articuli IV decreti *Quemadmodum* « exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus « dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adi« gantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a « constitutione sa. me. Benedicti XIV incip. *Pastoralis curae* « praescriptum habetur » [5].

III

Quod attinet ad sanctam communionem permittendam aut abnuendam, Sanctitas Sua decernit :

[1] Resp. S. Cong. Episc. et Regul. ad Episc. Malacitanum, 17 aug. 1891.

[2] Resp. S. Cong. Episc. et Regul., 1 febr. 1892.

[3] Ibid.

[4] Ibid.

[5] Ibid.

1. Huiusmodi permissiones vel prohibitiones ad solum confessarium spectare, qui solus iudicet, num personae religiosae paratae sint ad sanctam communionem etiam diebus in regula statutis.

2. Hoc unum pertinere ad superiores, ut vetent quominus subditus, qui post ultimam confessionem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, prius ad communionem accedat, quam confessarium denuo adierit.

3. Eos, quibus confessarius permiserit saepius communicare quam diebus in regula statutis, hoc semel superiori significare debere, non expectato responso ; ipso autem confessario intra silentium, ut patet, se tenente. Quod si superior certior factus graves causas putet obstare frequentiae, eas confessario manifestet, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

4. Confessarius extraordinarius unam aut alteram tantum communionem concedere potest occasione confessionis quam obiter accepit [1].

Sanctitas Sua mandat omnibus et singulis superioribus ut dispositiones decreti *Quemadmodum* studiose accurateque observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

Denique declaramus a Sancta Sede mandari, ut decretum in linguam vernaculam translatum constitutionibus singularum Congregationum inseratur, et saltem semel in anno, stato tempore, in unaquaque domo, sive in publica mensa, sive in capitulo ad hoc convocato, palam praesenti tota communitate legatur [2].

[1] Resp. S. Cong. Episc. et Regul., 1895.
[2] Vide in App. decr. *Quemadmodum*.

DECRETUM IV

DE NOVIS DEVOTIONIBUS

Ut cuiusvis religiosi Instituti sodales impensius propriis suis exercitiis et devotionibus vacare studeant, et ab eo quod novitatem sapiat plenius avertantur, volumus et decernimus ut nulla devotio, praeter eas quae a constitutionibus et regulis acceptae ordinataeque sunt, in communitatem inducatur, nullaque apud fideles diffundatur, sine Ordinarii loci licentia.

Insuper memores sint omnes qui, ad perfectiorem vitam amplectendam, iam vota etiamsi simplicia et ad tempus in quocumque Instituto a Sancta Sede aut ab Episcopo approbato emiserunt, se in aliquem Tertium Ordinem tunc adscribi et eiusdem indulgentiis et privilegiis perfrui non valere [1].

DECRETUM V

DE SORORUM RELIGIOSARUM AB ORDINARIO DEPENDENTIA

Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, cum ab omnibus fidelibus, tum maxime ab iis qui religio-

[1] S. Cong. Indulg., 31 ian. 1893.

sam perfectionem sectantur, obsequium debetur ac reverentia. Qua in re Congregationum religiosarum Moderatrices, tum verbis, tum agendi ratione, exemplum caeteris praebere studeant. Episcopum improbare aut ei obtrectare, maxime coram saecularibus, sedulo devitent. Caveant insuper ne contra eius personam aut directionem ab eo datam ullas partes excitent aut foveant : imo vero sorores quae officii sui immemores disciplinam ecclesiasticam in re tanti momenti infringerent, pro modo culpae punire ne omittant.

Porro Congregationes, quae sunt mere dioecesanae et sola Ordinariorum permissione existunt, illorum auctoritati et iurisdictioni omnino subsunt. Instituta vero quae in pluribus dioecesibus diffusa uni Superiorissae parent, et approbationem habent Apostolicae Sedis, sedulo caveant ne ea Episcoporum iura offendant quae in Instituti regimine sacri canones et Ecclesiae disciplina, sive etiam Instituti Constitutiones aut privilegia Apostolica ipsis conferunt. Licet enim in huiusmodi Institutis directio domestica eorumdem non stet penes Episcopum, hic tamen ius, praeter alia, habet inspectionis quoad fidem, vitam communem, quoad scandalorum et abusuum resecationem. Consensum pariter Episcopus praestare debet pro erectione novae domus, et saltem audiri in relinquenda domo in eius dioecesi existente. Praeterea valde quidem expedit, ut Episcopum consulant de dubiis et difficilioribus casibus, de impensis extraordinariis aliisque rebus maximis, ac speciatim de sodalium dimissione.

Superiorissas demum non praetereat, ceremoniale, nisi a S. Sede recognitum, ab Episcopo dioecesano esse approbandum ; eum etiam certiorem esse faciendum de tempore vestitionis et professionis, ut, sive per se sive per deputatum, virginum voluntatem praevio examine explorare queat.

Harum autem ordinationum accurata observatio ad pacem et concordiam fovendam Episcopum inter et religiosas communitates ei creditas, et ad copiosam divinae gratiae largitionem super Instituta eorumque opera impetrandam, multum, ut speramus, proderit.

Ceterum cum revisionis hujus Synodi tempore edita fuerit constitutio *Conditae a Christo* sexto Idus decembris 1900, qua SSmus D. N. de religiosorum institutis vota simplicia profitentium, plura praescripsit atque observanda iussit, curent Episcopi eam adamussim executioni mandare [1].

[1] Vide in Append. Constitut. *Conditae a Christo.*

TITULUS V

DE CULTU

DECRETUM I

DE CULTU DIVINO

Ad malevolorum hominum calumnias praecavendas et perfidiam, oportet ut fideles non solum quomodo Deum colere debeant apprime intelligant, sed insuper ut *parati* sint *semper ad satisfactionem omni poscenti* eos *rationem de ea, quae in* eis *est, spe* [1].

Noverint igitur alium esse cultum quo Deus ac *Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* [2], colendus est, alium quo Beatam Virginem Deiparam et Sanctos veneramur et invocamus.

Soli Deo, utpote omnium Creatori supremoque Domino, verum cultum Latriae praestari, tum lege ipsa naturae, tum his verbis praecipitur : *Dominum tuum adorabis, et illi soli*

---

[1] I Pet., III, 15.

[2] I Tim., II, 5.

servies [1] ; sed haec admonet Synodus omnes ecclesiarum rectores, ut omni studio ac diligentia populos sibi commissos doceant in quo consistat Dei cultus, et quomodo Deus colendus sit et adorandus. *In spiritu* quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt ; *in veritate,* qui cultu exteriori et piis operibus mentis affectum testantur et exprimunt. Perfecta ergo adoratio est, cum, anima simul et corpore, divino mancipamur obsequio.

DECRETUM II

DE SACRARUM RELIQUIARUM CULTU

Mandamus etiam omnibus animarum pastoribus ut de reliquiarum honore et legitimo usu fideles diligenter instruant, docentes eos, iuxta praescriptum Sanctae Synodi Tridentinae, « Sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo vi« ventium corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et « templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam susci« tanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse : per quae « multa beneficia a Deo hominibus praestantur ; ita ut affir« mantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non « deberi, vel eos, aliaque sacra monumenta a fidelibus inuti« liter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sancto-

[1] Matth., IV, 10.

« rum memorias frustra frequentari ; omnino damnandos esse, « prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat « Ecclesia » [1].

Sed, ut in istis abusus omnis excludatur, prohibet haec nostra Synodus, iuxta Canones, ne quis novas aut ignotas reliquias publice venerandas exponat, nisi prius ab Ordinario visae et probatae fuerint.

Has autem reliquias recognitas volumus in loco ad id decenter parato recondi et servari, e quo, cum venerationis causa educi par erit, id cum omni honore et reverentia fieri mandamus.

DECRETUM III

DE ECCLESIARUM DECORE

Haec Synodus omnes ad quos spectat, monet ac obtestatur, ut in ecclesiis aliisque piis locis, omnia sint munda, ordinata : nulla permittantur ibidem profana conventicula : coerceantur liberiores ministrorum inferiorum et aliorum habitus et gestus : modestia et reverentia ab omnibus serventur. Sic pateat quantum unusquisque nostrum diligat *decorem domus* Dei *et locum habitationis gloriae* eius [2].

[1] Conc. Trid., sess. XXV, *De invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, etc.*

[2] Ps. XXV, 8.

DECRETUM IV

DE DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO

Non sine magno animi dolore, diei Dominicae sanctificationem a nonnullis, hisce temporibus, neglectam conspicimus. Ex hac enim tam sancti praecepti transgressione innumera prope profluunt mala. Hinc quippe divini cultus oblivio, irreverentia et impietas in Deum : hinc crassa divinorum dogmatum et praeceptorum ignorantia, et deperditio fidei, quae, cum sit *ex auditu*, diu incolumis esse nequit in iis qui verbi divini praedicationi interesse negligunt ; hinc morum corruptela et scandala.

Summa igitur cura ac sollicitudine animarum pastores universos ac singulos sibi commissos moneant de gravi illius magni praecepti obligatione, ac per viscera misericordiae [illegible] Christi enixius obsecrent, atque obtestentur ut dominicam diem aliosque dies festos de praecepto, iuxta Ecclesiae praescripta sanctificent. Ad hanc autem dierum sacrorum sanctificationem tenentur fideles ab omni opere servili abstinere, atque sacrosancto Missae sacrificio interesse.

« Cum in missa cantata Deo maior gloria reddatur et hac in missa panis verbi divini fidelibus frangatur, nec non opportuna et salutaria dentur monita, curent parochi et confessarii ut oves suae intelligant quanti eadem sit habenda, quanto fructu referta et quo studio frequentanda ».

Attendant tamen animarum Rectores iam nunc non teneri fideles, vi praecepti Ecclesiae, missam parochialem audire. Ad istud enim praeceptum adimplendum, missae cuiuslibet extra oratorium mere privatum celebratae auditionem omnino sufficere declaramus [1].

Denique fideles ad officia vespertina frequentanda et ad pia opera exercenda sedulo hortentur.

« Festa autem quae, in hac Provincia, praeter dominicas « dies, nunc a fidelibus servanda sunt de praecepto, post recen- « tiora indulta, sunt sequentia :

« Circumcisio Domini.

« Epiphania Domini.

« Ascensio Domini.

« Festum omnium Sanctorum.

« Immaculata Conceptio B. M. V.

« Nativitas Domini.

« Cetera festa, de iure communi obligatoria, per plenam « Apostolicae Sedis dispensationem, iamdiu omnino fuerunt « abrogata.

« Notandum tamen Festum Annuntiationis, quoties trans- « fertur, nullo modo esse de praecepto ».

---

[1] Cf. in App. decr. S. Rit. Cong., 26 ian. 1899, super oratoriis semi-publicis.

DECRETUM V

DE SOLEMNITATIBUS

Ne, cum notabili pietatis Christifidelium detrimento, oblivioni darentur nonnullae praecipuae festivitates in honorem Domini nostri, Beatissimae eius Matris ac Sanctorum, infra hebdomadam occurrentes, neque de praecepto apud nos servandae, Sedes Apostolica, postulantibus huius Regionis Episcopis, per diversa indulta permisit transferri ad dominicam, atque more festivo, quasi dies proprius esset, celebrari sequentium festorum solemnitates.

Purificationis B. M. V. :

S. Thomae Aquinatis, *(apud scholas catholicas quarum est Patronus)* ;

S. Ioseph ;

Annuntiationis B. M. V. ;

SS. Corporis Christi ;

SS. Cordis Iesu ;

S. Ioannis Baptistae ;

SS. Petri et Pauli ;

S. Annae, *Patronae Prov. Quebecen., qualis anno* 1876 *existebat ;*

Assumptionis B. M. V. ;

Nativitatis eiusdem B. M. V. ;

S. Michaelis Archangeli ;

S. Patroni vel Titularis Ecclesiarum Parochialium.

DECRETUM VI

DE CANTU ET MUSICA IN ECCLESIIS

Quae in ecclesiis cantanda sunt, ad divinum cultum promovendum, fovendamque fidelium devotionem tantummodo inservire debent : caveant igitur parochi ne musica levis vel indecora, theatrumque redolens, a divina contemplatione fideles avertat. Curent pastores ut cantus gregorianus, utpote ecclesiae proprius, maiestatique divini cultus sua gravitate multo conformior, in missa solemni, necnon in vesperis, primas partes obtineat. Invigilent autem diligenter ne cantus exponatur contemptui, modo quo executioni mandatur : voces sint unisonae, nec plus aequo extollantur ; cantus non sit tardior citiorve ; chorusque a peritis in cantu gregoriano regatur ; quod vix obtinendum est, nisi studiosa iuventus, prae mundana, ecclesiasticam musicam ediscat. Dent igitur operam rectores collegiorum seminariorumque, qui tam admirabili zelo iuventuti instituendae se devovent, ut cantum gregorianum alumni apprime edoceantur.

Caeremonialis autem Episcoporum regulis inhaerentes prohibendum ducimus ne in officiis defunctorum ulla musica cum instrumentis habeatur. Organa quidem in missis pulsari permittimus, sed tantum ad sustinendas cantantium voces, nullatenus ut modulos resonent, praesertim ante vel post missam aut officium, a quibus tunc penitus abstinendum est.

Eas regulas extendi volumus ad dies Adventus et Quadra-

gesimae ; ita tamen ut in festis occurrentibus, nempe Immaculatae Conceptionis, sancti Ioseph aut aliis, musica cum instrumentis et organis permittatur, atque dominica Adventus tertia, dicta *Gaudete*, et Quadragesimae quarta, nuncupata *Laetare*, liber organorum usus, exclusis aliis instrumentis, admittatur in missa.

TITULUS VI

DE SACRAMENTIS

DECRETUM I

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Parochi ceterique omnes sacerdotes, quibus incumbit mysteriorum Dei dispensatio, in primis haec verba Ritualis Romani semper ob oculos habeant : « Cum igitur in Ecclesia « Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut ma- « gis divinum habeatur, quam sacramenta ad humani generis « salutem a Christo Domino instituta, parochus, vel quivis « alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, memi- « nisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere « temporis momento ad tam sanctae administrationis officium « paratum esse oportere.

« Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, « pieque vitam agat ; nam etsi sacramenta ab impuris coinqui- « nari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus « impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeter- « nae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati

« mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum admi-
« nistrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat;
« sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio
« ferat, convenit confiteri.

« Quacumque diei ac noctis hora ad sacramenta adminis-
« tranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim
« si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum
« saepe, prout sese offeret occasio, praemonebit, ut cum sacro
« ministerio opus fuerit, se quam primum advocet, nulla tem-
« poris aut cuiuscumque incommodi habita ratione.

« Ipse vero antequam ad huiusmodi administrationem
« accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi et sacrae
« rei quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem
« ministrandi et caeremonias, pro temporis spatio, praevidebit
« et perleget.

« In omni sacramentorum administratione superpelliceo
« sit indutus, et desuper stola eius coloris quem sacramenti
« ritus exposcit, nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando
« occasio, vel locus interdum aliter suadeat.

« In Sacramentorum administratione, eorum virtutem,
« usum ac utilitatem et caeremoniarum significationes, ut
« Concilium Tridentinum praecipit, ex sanctorum Patrum et
« Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit,
« diligenter explicabit.

« Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba
« quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, dis-
« tincte, pie atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias
« orationes et preces devote ac religiose dicet, nec memoriae,
« quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit
« ex libro. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decen-

« ter, gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium « rerum cogitationem erigat, et attentos reddat » [1].

DECRETUM II

DE BAPTISMO

« Sacrum Baptisma, christianae religionis et aeternae vitae « ianuam, quod inter alia novae legis sacramenta a Christo « instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium « esse ipsa Veritas testatur illis verbis : *Nisi quis renatus fuerit « ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [2]. « Itaque summa ad illud opportune riteque administrandum « ac suscipiendum diligentia adhibenda est.

« Opportune », igitur et instanter « hortetur parochus eos « ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, « sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, et qua decet chris- « tiana modestia, sine pompae vanitate, praetermisso omni « vano praetextu, deferant ad Ecclesiam, ne iis sacramentum « tantopere necessarium nimium differatur, cum periculo « salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, « consuetae caeremoniae ritusque suppleantur, omissa forma « et ablutione » [3].

Quoniam plures sunt casus quibus non nisi in extrema

---

[1] Rit. Rom.

[2] Ioan., III, 5.

[3] Rit. Rom.

necessitate deceret sacerdotes operam suam impendere, quales sunt partus praematuri et difficiles, nec non abortus in omni periodo gestationis, in quibus nihilominus baptisma conferri debet, gravissime tenentur pastores instruere et admonere medicos, obstetrices aliosque quorum intersit, ut nullam praetereant occasionem animae Christo lucrandae per baptismum valide collatum ».

Cum absque gravi delicto et irregularitatis poena Baptismus iterari nequeat, sacerdos cavere debet ne quemquam, etiam sub conditione, iterum baptizet, nisi, re diligenter perquisita, prudens dubium relinquatur an rite baptizatus fuerit. Curet igitur diligenter ut certior fiat de statu baptizandorum : an scilicet iam rite baptizati sint, necne. Praemissa hac matura investigatione, iis quidem quos valide baptizatos esse constat, omissa tantum suppleantur ; illi vero omnes de quibus prudens et probabilis subest dubitatio an fuerint baptizati, sub conditione baptizentur. Hinc baptizandi sunt sub conditione infantes expositi et inventi, atque etiam ii qui domi a laicis abluti sunt, nisi testimonio omni fide digno, vel indubitatis indiciis et argumentis, constet baptismum fuisse rite confectum.

Et quoniam, de die in diem, graviora excitantur dubia de valore Baptismi apud protestantes collati, sciant parochi, juxta decretum S. Officii, 20 novembris 1878, huiusmodi Baptisma sub conditione esse iterandum, nisi instituta semper in singulis casibus accurata investigatione, ex indubiis probationibus certissime constet in ipsorum Baptismo omnia rite fuisse peracta quoad materiae et formae applicationem.

Super haereticis vero adultis ad catholicam Ecclesiam venientibus, sive valide iam baptizati sint, sive sub conditione sint baptizandi, caeremoniae omissae suppleantur iuxta prae-

scripta Ritualis, nisi Episcopus, facultate apostolica praeditus, dispensare in casibus particularibus iudicaverit.

Infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse indicamus, quoties probabilis adsit spes catholicae eorum educationis. Nullo tamen pacto tolerari potest quod patrinus vel matrina acatholici admittantur [1]. Meminerint autem sacerdotes, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.

Adultos autem iuniores adhuc sub parentum tutorumve acatholicorum potestate constitutos, cum certe sui iuris sint in iis quae Dei sunt, si fidem catholicam profiteri voluerint, ac firmum propositum spemque bonam perseverandi habuerint, etiam invitis ac repugnantibus parentibus, baptizandos, si opus fuerit, ac in gremium Ecclesiae recipiendos esse decernimus. Circa quod prae oculis habendae sunt instructiones et normae decretorum S. Officii, 21 iulii 1880 et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 24 aprilis et 1 iunii 1885.

Quoad eos qui ad munus patrini admittendi sunt, serventur praescripta in Rituali Romano, quod omnino et adamussim servari volumus tota hac nostra provincia.

Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac sacramento confirmationis confirmatos esse maxime convenit. Sciant praeterea parochi (quod et de sacerdotibus qui baptismum administrant intelligendum est) ad hoc munus non esse admittendos infideles aut haereticos ; non publice excommunicatos aut interdictos ; non publice criminosos aut infames ; nec prae-

---

[1] Cf. Inst. Benedicti XIV, *Postremo mense*, 28 febr. 1747. Item S. Cong. de Prop. Fide, 17 aug. 1777. Item decr. S. Off., 6 sept. 1899.

terea, qui sana mente non sunt ; nec qui ignorant rudimenta fidei ; haec enim patrini spirituales filios suos quos de baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

DECRETUM III

DE CONFIRMATIONE

Provideant diligenter parochi ut fideles de tanti sacramenti excellentia edocti illud digne suscipiant, atque gratiam eius in seipsis fovendam et ampliandam curent. Cum autem status gratiae ad Confirmationem suscipiendam sit necessarius, eos qui sibi conscii sunt peccati mortalis moneant, ut ad sacram unctionem non accedant, nisi praemissa confessione sacramentali.

Dentur confirmandis schedae, ipsiusmet parochi vel eius vicarii manu obsignatae, quas episcopo sacramentum administraturo exhibeant ; huiusmodi autem schedas petentibus, quos iudicaverit idoneos, tradat parochus.

Satagat parochus ut omnes confirmandi praesentes sint in principio ritus, cum episcopus elevans manus profert orationem *Omnipotens* (non tamen a[illegible]net illum ritum esse ad sacramenti valorem necessarium), nec exeant nisi post benedictionem in fine caeremoniae datam. Nomina autem confirmatorum describantur in libro ad formam in Rituali praescriptam.

DECRETUM IV

DE PATRINIS IN CONFIRMATIONE

Ut melius et uniformiter servetur rubrica Pontificalis Romani circa patrinos in Confirmatione, sequentia observanda statuimus :

Confirmandi habebunt patrinos singuli singulos, nec tamen feminis mares, nec maribus feminae hoc officium praestabunt. Quod si tot patrini quot confirmandi haberi commode nequeant, curetur saltem ut duo pro pueris patrini et duae pro puellis matrinae adhibeantur. Quod si duo inveniri nequeant, vir unus pro maribus et una mulier pro feminis adhiberi ad id officii poterunt.

Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus aut uxor [1] confirmandi. Ad hoc munus in Confirmatione non sunt admittendi excommunicati, interdicti, haeretici, aut alii quos Rituale Romanum excludit in collatione baptismi.

Patrinus confirmandum in brachio dextero teneat [2] vel manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat [3].

[1] Pont.

[2] Ibid.

[3] S. Rit. Cong., 20 sept. 1749.

Patrini cognationem spiritualem contrahunt cum confirmato et eius patre aut matre.

Curandum videtur ut alius sit patrinus in baptismo et alius in confirmatione, quod etiam pro matrina observetur [1].

DECRETUM V

DE EUCHARISTIA

« Omnibus quidem Ecclesiae catholicae sacramentis reli- « giose sancteque tractandis magna ac diligens cura adhibenda « est ; sed praecipue in administrando, ac suscipiendo sanctissi- « mo Eucharistiae sacramento, quo nihil dignius, nihil « sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei ; cum in eo con- « tineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet « omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus [2].

« Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum « ipse venerabile hoc sacramentum, qua decet reverentia, « debitoque cultu tractet, custodiat et administret ; tum etiam « populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque « suscipiat, praesertim in maioribus anni solemnitatibus » [3].

[1] Cf. Instruct. S. Off., iulii 1888, *Etsi*.

[2] Rit. Rom.

[3] Ibid.

§ I — De frequenti communione

Cum nihil habeat christiana religio sacramento Eucharistiae praestantius et augustius, nihilque ad sancte et inculpate vivendum efficacius eiusdem frequentissima participatione, parochi et verbi divini praedicatores de eius fructibus et utilitate frequenter disserant, ut fideles haec sacra mysteria corporis et sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter, et sicuti optaremus cum sacrosancta Synodo Tridentina [1] in singulis missis, non solum spirituali affectu, sed etiam realiter, suscipere possent.

Parochos autem, et illos omnes qui verba habent ad populum christianum, hortamur, ut, quando de dispositionibus ad communicandum requisitis, vel de indigna sacramenti perceptione disserunt, a nimia verborum austeritate declinent, ne forte, mentibus audientium formidine ultra modum concussis, fideles in quamdam desperationem incidant, et a communione prorsus deterreantur. Peroptat igitur haec Synodus, ut, quoties de Sacra Eucharistia agitur, non omittatur equidem quod terreat indignos, sed libentius proferatur quod bene dispositos ad panem vitae suavissimum alliciat.

Circa vero frequentem sacrae communionis sumptionem parochi ac confessarii haec ante omnia sedulo perpendant et observent, quae habentur in decreto, quod, iubente et approbante Innocentio XI, die 12 februarii 1679 promulgatum est :

[1] Sess. XXII, *De Sacr. Missae*, cap. VI.

« Etsi frequens quotidianusve sacrosanctae Eucharistiae usus a « sanctis Patribus fuerit in Ecclesia probatus, nunquam tamen, « aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos, sin- « gulis mensibus aut hebdomadis, dies statuerunt, quos nec « Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam « infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet « tantum indicavit, cum inquit : *Optaret quidem sacrosancta « Synodus, ut singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucha- « ristiae perceptione communicarent* ; idque non immerito, multi- « plices enim sunt conscientiarum recessus, varia ob negotia « spiritus alienationes, multae e contra gratiae, et Dei dona « parvulis concessa : quae cum humanis oculis scrutari non « possumus, nihil certe de cuiusque dignitate atque integritate, « et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis « usu potest constitui.

« Et propterea quod ad negotiatores attinet, frequens ad « sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum « secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ea « conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem « processu, laicis negotiatoribus, et coniugatis quod perspicient « eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

« In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, « non ut a frequenti, aut quotidiana sacrae communionis sump- « tione, unica praecepti formula aliqui deterreantur : aut « sumendi dies generaliter observentur..., sed magis ut nemo a « sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repella- « tur ; et nihilominus dent operam ut unusquisque digne pro « devotionis, et praeparationis modo, rarius aut crebrius Domini « corporis suavitatem degustet ».

Ad hoc etiam proderit praeter parochorum et confessario-

rum diligentiam, id praedicatores observare, « ut cum fideles « ad sanctissimi sacramenti frequentiam (quod facere debent) « accesserint, statim de magna ad illud sumendum praepara- « tione, orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui « ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem « devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, « sive coniugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmi- « tatem ut dignitate sacramenti, ac divini iudicii formidine « discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri, et si « quando se minus paratos senserint, ab ea abstineré, seque ad « maiorem praeparationem accingere ».

Istud vero maxime « ab eorum officio postulari sibi persua- « deant, tum concionatores, tum confessarii, nulli labori aut « diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali « suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtu- « tesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde con- « tinget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina praestante « gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici « cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et « charitate assueverunt » [1].

Quod autem ad dispositiones suscipientium attinet, monemus in primis confessarios ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis, aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda suaque vita emendanda sunt solliciti, sicuti nec illis qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem : qua de re legenda sunt quae scripserunt probati auctores, inter quos commendamus S. Alph. M. de Ligorio.

---

[1] S. Cong. Conc., 12 febr. 1679.

§ II — Quibus deneganda est Eucharistia

Quod vero ad eos qui a sanctissimae Eucharistiae participatione arcendi sunt, servetur quod praescribit Rituale Romanum.

Illos autem qui morte plectendi sunt, nedum inter repellendos recenseamus, pastores noverint esse admittendos, modo vere poenitentes sint, ideoque una ex diebus quae supplicium praecedent, puta pridie executionis, si fieri possit, aut etiam eius ipsa die, quando nihil indecentiae timendum erit sacramento, conferatur eis Eucharistia, qua ad dolores mortis, resignato et patienti animo, sustinendos mirifice adiuvabuntur.

§ III — De Eucharistia administranda

Sancta Eucharistia administretur, quantum fieri potest, intra missarum solemnia, etsi ante, vel post missae celebrationem, cum rationabili causa administrari possit.

§ IV — Lampas ante SS. Sacramentum

Ante sanctissimum Sacramentum lampas diu noctuque luceat.

§ V — Communio Paschalis

Parochi dent operam ut omnes tempore paschali communicent. Ad hoc denuntient opportune populo constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quae incipit his verbis : *Omnis utriusque sexus, etc.* Inde doceantur fideles sibi incumbere

obligationem semel saltem in anno, in paschate, atque in propria parochia communicandi.

§ VI — Communio infirmorum

Infirmis qui in periculo mortis probabili et proximo, quamvis non actuali et imminente, versantur, viaticum Corporis Domini Nostri Iesu Christi summo studio ac diligentia, opportuno tempore, deferendum est, ne forte contingat illos tanto beneficio, incuria sacerdotis, privatos decedere. Perseverante periculo mortis, iterari potest viatici administratio, quin etiam parochi debent, ut monet Benedictus XIV Pontifex Maximus, « sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad « aegrotos, qui, etiam perseverante eodem mortis periculo, « illam saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium « servare nequeant, percipere cupiunt » [1].

Non a recipiendi viatici lege eximitur, quicumque, seu devotionis causa, seu ut praeceptum paschale impleret, Corpore Domini assumpto, paulo post in gravem morbum inciderit.

Nec deneganda Eucharistia est, imo potius conferenda pueris moribundis qui primae communionis aetatem nondum adepti, ad usum tamen rationis pervenerunt, modo edocti, prout tempus permiserit, cibum coelestem et supernum a communi et materiali discernere queant.

Cum autem infirmis SSma Eucharistia est ministranda, quanta praestari potest veneratione, pro temporis vel locorum circumstantiis deferatur, comitantibus fidelibus ad hoc salutare pietatis obsequium frequenter invitatis.

---

[1] De Synodo Dioec., lib. VII, cap. XII, § IV.

§ VII — De Sacrificio Missae

« Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missae sacri- « ficium omni religionis cultu ac veneratione celebretur », ait Tridentina Synodus, « quivis facile aestimare poterit, qui cogi- « tarit maledictum in sacris Literis eum vocari qui facit opus « Dei negligenter [1]. Quod si necessario fatemur nullum aliud « opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari « posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica « illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per « sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem « operam et diligentiam in eo ponendam esse ut quanta « maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque « exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur » [2].

Tanta ergo gravitate, tanto religionis cultu Missae sacrificium celebrent, ut per visibilem ministri pietatem invisibilia aeterni sacerdotis mysteria conspiciantur. Nihil igitur obiter in hac divina actione, nihil perfunctorie, nihil praecipitanter, nihil inconditis gestibus, omnia vero graviter, omnia secundum ordinem fiant, iuxta receptos et approbatos Ecclesiae ritus, qui vel in minimis, sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt.

« Pia enim mater Ecclesia, » prout docet eadem sancta Synodus, « ritus quosdam et caeremonias » in missa servandas instituit, « quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et « mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa

[1] Ier., XLVIII, 10.

[2] Sess. XXII, decr. *De observ. et evitand. in celebratione missae.*

« ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contem-« plationem excitarentur » [1].

Horum igitur sacrorum rituum leges, quae rubricarum nomine censentur, presbyteri accurate addiscant, apprimeque calleant ac attentissime servent ; nec illos commentarios, qui de istis sacris ritibus a piis et eruditis viris conscripti sunt, legere omittant, dictasque caeremonias frequenter inter missarum celebrationem exponere, ut earum sanctitas et significatio ab omnibus agnoscantur.

DECRETUM VI

DE STIPENDIO PRO MISSA CELEBRANDA

Ut sanctissimo sacrificio missae debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem servaretur aut restitueretur, decrevit Sancta Tridentina Synodus : « Ordinarii « locorum episcopi ea omnia prohibere atque de medio tollere « sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum « servitus, vel irreverentia, quae ab impietate vix seiuncta esse « potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit » [2]. Quapropter ea quae sequuntur in memoriam sacerdotum omnium revocamus, additis opportunis praescriptionibus.

---

[1] Sess. XXII, cap. V.

[2] Sess. XXII, decr. *De observ. et evitand. in celebratione missae.*

Ne quis plus nec regulariter minus exigat, quam Episcopo suo opportunum ac iustum visum fuerit stipendium pro missa celebranda. Non tamen prohibetur accipere quod omnino libere ac spontanee offertur ultra taxam dioecesanam.

Meminerint sacerdotes qui stipendia pro missis celebrandis recipiunt, gravem sibi incumbere obligationem illas, vel per se, vel per alium, celebrandi et quidem sine nimia mora, nimirum intra tempus de quo conventum est cum offerente, vel intra brevis temporis spatium, quando pro urgente necessitate postulatur oblatio missae, vel tandem, in communibus adiunctis, intra tempus constitutum sive per statuta dioecesana, sive per probatorum doctorum sententiam.

Quae igitur intra tempus statutum praevidentur non posse celebrari ab ipso recipiente, vel ab aliquo alio sibi bene noto presbytero, eiusdem paroeciae, transmittantur ad Ordinarium. In hac autem transmissione sedulo notentur diversae intentiones, pro vivis vel pro defunctis.

Quod ut ordinatius et securius fiat, unusquisque sacerdos appositum librum habeat, in quo stipendia et intentiones offerentium inscribantur iuxta ordinem receptionis, et sedulo notentur missae ab ipso celebratae vel aliis traditae ad celebrandum. Hic vero liber episcopo, vel visitatori delegato, quotiescumque requisierit, exhibeatur. In parochiis communis esse poterit parocho et vicariis pro inscriptione missarum quarum stipendia a parochianis oblata fuerint.

Nulla stipendia missarum extra dioecesim mittantur absque licentia Ordinarii. Nunquam tradantur cuiquam mercatori, nec commisceantur cum temporalibus negotiationibus pro libris aut aliis rebus : qui abusus non semel condemnatus fuit

a Sede Apostolica [1], latis etiam in contrafacientes censuris [2].

Lege ecclesiastica prohibetur ne quisquam quid retineat de stipendio soluto pro celebranda missa, nec etiam in favore ecclesiarum aut cuiusvis boni operis, nisi ille qui ius habet ad stipendium pro missa celebrata vel celebranda, omnino libere de iure suo cedat.

Qui missam, cum debita licentia, bis celebrat eadem die, nullum stipendium accipere potest pro secunda missa. Si quis vero sacerdos forte teneatur ex instituto alicuius piae societatis, cui sit adscriptus, missas aliquas sine stipendio celebrare, eaedem ab ipso possunt celebrari secundo loco; si tamen duas parochias habeat, tenetur utramque applicare pro populo. Ab hac prohibitione excipiuntur missae in Natali Domini.

Nullus parochus aut ecclesiae rector fundationes missarum, vel in perpetuum vel ad certum annorum numerum, accipiat sine consensu fabricae aut administratorum ecclesiae, habito praevio consensu Ordinarii. Conditiones omnes accurate inscribantur in regestis et adamussim serventur.

In sacristia appendatur elenchus fundationum in respectiva ecclesia existentium, etiam ad tempus factarum, dummodo tempus nondum elapsum sit.

Omnino prohibemus *et iustitiae contrarium declaramus* abusum quo, praeter fidelium intentionem, ex pluribus missarum privatarum stipendiis uno missae cantatae stipendio conflato, missa cantata pro eiusmodi stipendio missis privatis substitueretur.

---

[1] S. Cong. Conc., 9 sept. 1874 et 24 april. 1875.

[2] Vide in App. decr. *Vigilanti*, S. Cong. Conc., diei 25 maii 1893.

DECRETUM VII

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

« Sanctum Poenitentiae Sacramentum » tanquam humanae infirmitatis remedium, « ad eos qui post Baptismum lapsi sunt, « in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum, eo « diligentius administrandum est, quo frequentior est eius « usus, et quo plura requiruntur ad illud rite, digneque « tractandum ac suscipiendum » [1].

§ I — Qui sint Ministri huius Sacramenti et quales esse debeant

Quare ante omnia oportet ut ministri huius sacramenti, qui sunt sacerdotes habentes iurisdictionem absolvendi vel ordinariam, vel delegatam, apprime suas agnoscant partes, quae sunt iudicis, medici et doctoris. Has autem ut digne impleant, in ipsis omnino requiritur bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio Unde « iis dotibus et aliis ad id opportunis, « ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii. [2]

« In primis igitur meminerit confessarius se iudicis pariter « et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et

---

[1] Rit. Rom.

[2] Ibid.

« misericordiae ministrum a Deo institutum esse, ut tanquam « arbiter inter Deum et homines honori divino et animarum « saluti consulat »[1]. Sicut enim nimia facilitas peccatorum est fomentum, sic nimia severitas pluribus est via ad desperationem.

« Ut ergo recte iudicare queat, et tanquam peritus « medicus discernens inter lepram et lepram, animarum « morbos prudenter curare et apta cuique remedia applicare « sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque « prudentiam, tum in assiduis ad Deum precibus, tum ex « probatis auctoribus » (inter quos praecipue commendamus S. A. M. de Ligorio, quem ex iudicio Sanctae Sedis, inoffenso pede ac tuta conscientia, omnes sequi possunt), « praesertim e « Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum studeat « sibi comparare »[2].

« Sciat casus et censuras Sedi Apostolicae et Ordinario suo « reservatas, et suae cuiusque ecclesiae constitutiones, easque « diligenter observet »[3].

§ II — De officio Confessarii

« Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum « facilemque se praebeat ; ac priusquam ad audiendum acce- « dat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rite sancteque « obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit »[4].

Confessarius benignitate paterna poenitentem adiuvet « ut

[1] Rit. Rom.

[2] Ibid.

[3] Ibid.

[4] Ibid.

« omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta « illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, « peccata » ministro Christi « confiteri non audent.

« Si poenitens numerum, et species, et circumstantias « peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacer« dos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis et inutilibus « interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores « utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter « interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare « discant » [1], atque sic confessio sacramentalis evadat odiosa.

« Audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille « admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravi« tate, ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac « monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhi« bebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis addu« cere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius insti« tuendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

« Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, « quantum spiritus et prudentia suggesserint, iniungat, habita « ratione status, conditionis, sexus, et aetatis, et item disposi« tionis poenitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus « levissimas poenitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, « alienorum peccatorum particeps efficiatur » [2]. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, publicam poenitentiam non imponat. Caveat etiam ne ullam praescribat poenitentiam nimium difficilem, vel quam probabile sit a poenitente non fore adimplendam.

---

[1] Rit. Rom.

[2] Ibid.

In foro tam interno quam externo memores sint sacerdotes disciplinae provincialis et dioecesanae, ne diversus vel oppositus modus agendi in directione animarum appareat.

§ III — Quibus danda vel denegada sit absolutio

« Videat autem diligenter sacerdos, quando, et quibus con« ferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne « absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces ; quales sunt « qui nulla dant signa doloris ; qui odia et inimicitias deponere, « aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi « occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et « vitam in melius emendare nolunt : aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant : « neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus « reservata [1].

« Quae quidem nemo non viderit, ut ait Leo XII, quam « longe ab eorum ratione distent, qui ut gravius aliquod audiunt « peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere « infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere : iis « nempe ipsi mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo « sunt constituti qui ait : *Non est opus valentibus medicus, sed male « habentibus* ; aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae dili« gentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment : ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absol« vendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas

[1] Rit. Rom.

« absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas « alienet animos a confessione, et in desperationem salutis « adducat. Sistunt se quidem multi sacramenti poenitentiae « ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, « ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera « indutus misericordiae Christi Iesu, qui *non venit vocare iustos,* « *sed peccatores,* sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis « agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis « ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad « confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt « iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel « qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione ; *miseri-* « *cordiae* enim Domini *non est numerus, et bonitatis infinitus* « *est thesaurus* ; vel qui, rudes conditione, aut tardi « ingenio, non satis in ipsos inquisierint, nulla fere indus- « tria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi ; sed « qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum « graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem « ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex « intimo corde ad Deum precibus exhausta charitatis industria, « sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad « Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, « carere prudenter iudicentur. Quocumque animo sint qui « accedant ad ministrum poenitentiae, nihil ei magis caven- « dum est quam ne sua culpa diffisus quisquam Dei « bonitate, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. « Quare si iusta sit causa cur differenda sit absolutio, verbis « quoad poterit humanissimis, persuadeat confessis necesse esse « id, et munus officiumque suum et eorum salutem omnino « postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime

« alliciat, ut iis feliciter peractis quae salubriter praescripta « fuerunt, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulce- « dine reficiantur » [1].

§ IV. — De necessitate Confessionis

Christus Dominus Redemptor noster instituit sacramentum poenitentiae ad reconciliandos fideles.

« Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post « baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis « ipse baptismus » [2].

Deploranda ergo valde est illa exitiosa quorumdam christianorum indifferentia, qui salutis curam parvi pendentes et tantum charitatis Christi beneficium despicientes, nunquam, aut non nisi raro, ad salutiferum hunc divinae misericordiae fontem accedunt.

§ V — De Confessione annuali

Itaque omnes christifideles hortamur atque obsecramus enixe in Domino ut saepe saepius sacramentum poenitentiae suscipiant. Quod si hanc salutarem hortationem nostram non audiant, ad minus memores sint se teneri, ex Ecclesiae praecepto, confiteri saltem semel in anno, iuxta hoc concilii Lateranensis IV decretum : « Omnis utriusque sexus fidelis, « postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata

---

[1] Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, *De extensione Iubilaei*, an. 1825.

[2] Conc. Trident., sess. XIV, cap. II.

« confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, « et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere ».

Igitur de tam salutari ac gravi praecepto frequenter moneantur fideles, iuxta eiusdem Concilii mandatum, ac sedulo edoceantur.

Per proprium quidem sacerdotem intelligitur parochus, episcopus et Pontifex Romanus. Quum autem nunc penitus esset periculosa libertatis fidelium, circa confessarii delectum, restrictio, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, declaramus et volumus eos praedicto Ecclesiae praecepto satisfacere, qui peccata sua cuilibet ab Episcopo ad confessiones excipiendas approbato sacerdoti confiteantur ; ita ut ea de re nemo debeat a parocho inquietari, non obstante qualibet alia consuetudine particulari.

§ VI — De confessione puerorum

Eodem confessionis praecepto certe tenentur pueri doli capaces qui ad discretionis aetatem pervenerint ; parochum igitur tunc adeant vel alium sacerdotem et peccata sua confiteantur ; et si, vel ante tempus primae communionis, absolutione indigeant, ad hanc digne recipiendam sedulo disponantur.

Parochi autem munus erit diligenter curare ut pueri frequenter confessioni accedere assuescant quo vitae innocentiam facilius servent et mundiori corde ad Eucharistiae sacramentum suo tempore suscipiendum se praeparent. Ne vero forte contingat ut ob parochi negligentiam eorum animae in peccatis et pravis consuetudinibus languescant, volumus eosdem parochos omni ope adniti prorsus debere ut illi saltem quater per annum vel apud ipsum parochum, ad id semper paratum

se exhibentem, vel apud alium idoneum sacerdotem ad confessionem peragendam accedant, maxime quum aetati primae communionis peragendae propius aderunt.

§ VII — Ubi audiendae sunt Confessiones

« In ecclesia, non autem in privatis aedibus, sacerdos confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare » [1].


Habeat tum in ecclesia, pro tempore aestivo, tum in eiusdem sacristia, pro tempore hiemali, sedem confessionalem, in qua confessiones audiat, quae sedes patenti, conspicuo, et apto ecclesiae, vel sacristiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit extructa : nec liceat, extra casum infirmitatis, vel alterius rationabilis causae, mulierum confessiones excipere, nisi interposita huiusmodi crate.

DECRETUM VIII

DE CASIBUS RESERVATIS ET EORUM ABSOLUTIONE


Dari in Ecclesia potestatem reservandi certos casus sive causas criminum a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate absolvere nequeant, constat ex definitione Sacrosancti Concilii Tridentini [2].

[1] Rit. Rom.
[2] Sess. XIV, cap. VII.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



Crimina alia Episcopis reservantur ex speciali disciplina dioecesis, vel Provinciae, alia ex lege generali Ecclesiae. Quaedam vero Summorum Pontificum iudicio reservantur.

In hac Provincia Marianopolitana tria tantum Episcopis reservata sunt crimina, scilicet :

1o *Concubinatus* publicus et notorius ;

2o *Locatio* domus (inspecta gravissimi scandali ratione), sive propriae sive alienae, scienter facta meretricibus publice notis ;

3o *Periurium* contractum coram iudice, magistratu aut ministro publico, seu ecclesiastico, seu civili.

Insuper, iuxta constitutionem Pii IX, quae incipit : *Apostolicae Sedis*, datam quarto idus octobris 1869, Episcopis reservatur absolutio ab excommunicatione latae sententiae contra :

1o Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum *solemne* castitatis, matrimonium contrahere praesumentes ; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes :

2o Procurantes abortum, effectu secuto ;

3o Diteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Ceteri vero casus, olim de iure communi Episcopis reservati, a dicta constitutione abolentur.

De omnibus casibus nobis reservatis haec statuimus vel animadvertimus, iam a Patribus Concilii Quebecensis V statuta et animadversa.

1o Ne quis pereat occasione reservationis, validam declaramus absolutionem datam poenitenti bonae fidei, a sacerdote

iure absolvendi ab his supradictis casibus non instructo. Sacerdos autem qui absolvit conscientiae suae consulat.

2o Facultas ab eis absolvendi conceditur omnibus nostris vicariis generalibus qui quidem soli subdelegare eam poterunt. Idem dicendum de casibus papalibus qui ex iure communi, ut infra dicetur, reservantur Episcopis.

3o Quivis sacerdos potest, in territorio in quo habet iurisdictionem, absolvere a casibus supra reservatis ;

a) in periculo probabili mortis ;

b) mulieres quae non possent absque scandalo ad superiorem remitti ;

c) in dubio rationabili utrum culpa sit reservata ;

d) tempore paschali, sive ordinario, sive rite protracto ;

e) eos qui tempore paschali non potuerunt confiteri, vel quibus, tempore paschali confitentibus, dilata est absolutio ex causa rationabili ;

f) eos qui sunt in obligatione administrandi, vel recipiendi aliquod sacramentum, nec possunt recurrere ad superiorem, uti sunt, v. g., sponsi qui mox contracturi sunt matrimonium ;

g) eos qui confessionem generalem peragunt quam confessarius necessariam iudicaverit ;

h) eos qui se praeparant ad confirmationem, vel ad primam communionem ;

i) infirmos et senes qui non possunt venire ad ecclesiam, captivos, eos qui in longum vel periculosum iter proficiscuntur ;

j) omnes Christifideles tempore missionum (gallice *retraites*).

4o In supra memorata constitutione *Apostolicae Sedis*,

recensentur fere omnes *censurae* per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae, quae nunc Summo Pontifici reservantur, ceteris omnibus abrogatis. Quae ut melius innotescant, volumus ut exemplar dictae constitutionis typis mandetur in fine actorum et decretorum huiusce provincialis Synodi.

5o Notandum est Episcopos huius Provinciae, vi indulti apostolici, posse absolvere ab omnibus censuris etiam speciali modo in bulla *Apostolicae Sedis*, diei 12 octobris 1869, Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi, et praedictam facultatem communicare sacerdotibus idoneis qui in suis respectivis dioecesibus laborant, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante, sit qui possit providere.

6o In bulla *Sacramentum Poenitentiae* Benedicti XIV, praeter excommunicationem latae sententiae, confirmatam a Pio IX in supradicta constitutione *Apostolicae Sedis*, contra sacerdotes absolventes complicem in peccato turpi, Summo Pontifici etiam reservatur ratione sui et absque censura crimen eius qui innoxium sacerdotem apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulat, vel sceleste procurat ut id ab aliis fiat ; ipsum vero crimen sollicitationis non est reservatum, sed est puniendum arbitrio Ordinarii ; persona autem sollicitata omnino tenetur ut quamprimum denuntiet, nec potest absolvi ea quae huic adimplendo muneri parere recuset ; immo negligens vel culpabiliter omittens denuntiare infra mensem incurrit excommunicationem latae sententiae nemini reservatam.

DECRETUM IX

DE IURISDICTIONE AD PRAEDICANDUM ET ABSOLVENDUM

Revocantes decretum VII tertii Concilii Quebecensis, sequentia statuimus circa iurisdictionem ad praedicandum et absolvendum in hac Provincia, salvo semper absoluto iure Ordinariorum illam ampliandi in casibus particularibus [1].

Nullus presbyter praedicare aut confessionem sacramentalem audire praesumat, nisi ad hoc ordinariam aut delegatam habeat facultatem. Si autem periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. Hoc tamen in casu, si agatur de censuris in const. *Apostolicae Sedis* Pii PP. IX speciali modo Summo Pontifici reservatis, debet confessarius monere infirmum sic absolutum de obligatione standi mandatis Ecclesiae, si convaluerit.

Ordinariam iurisdictionem, pro foro interno tantum, habet parochus in sua parochia ; extra vero suam parochiam parochus semper et ubique terrarum potest absolvere suos parochianos. Cum autem frequenter contingat ut eius ministerium requiratur in parochiis vicinis, nos antiquae disciplinae huiusce Provinciae inhaerentes, paucis tamen mutatis, sequentia

[1] In casu peregrinationis, videatur decretum 5, tit. XI, *De piis peregrinationibus.*

statuimus, salvo decreto huius tituli *De casibus reservatis et eorum absolutione.*

Parochus potest praedicare et absolvere in parochiis quae propriam parochiam immediate tangunt, etiam si dictae parochiae sitae sint in altera dioecesi huiusce Provinciae (Marianopolitanae). Id autem intelligendum esse volumus, salvo iure cuilibet Ordinario aliter statuendi in propria dioecesi, si hoc in Domino illi videbitur expedire.

Idem dicendum de missionariis, et parochorum et missionariorum vices gerentibus.

Vicarius párochi potest praedicare et absolvere in parochiis in quibus potest parochus ipse vi praecedentis articuli.

Parochi, missionarii et vicarii huiusce Provinciae iurisdictionem in parochiis extra Provinciam sitis non exercebunt, nisi iuxta concessionem generalem vel specialem Ordinarii, de qua inquirere tenentur.

Sacerdos pollens iurisdictione sive ordinaria sive delegata in aliquo territorio, potest ibidem absolvere poenitentes ad se venientes, etiam ex alia paroecia aut dioecesi, aut provincia, etiam tempore paschali, nisi agatur de peccato reservato in dioecesi poenitentis qui *principaliter in fraudem reservationis* in aliam dioecesim se contulerit. [1]

Quilibet sacerdos, habens actualem iurisdictionem in aliqua parte dioecesis, potest in toto territorio eiusdem dioecesis absolvere clericum quemcumque etiam simpliciter tonsuratum, vel presbyterum ; item famulos et ancillas et alias personas in domo parochiali vel in domo missionarii domicilium etiam ad breve tempus habentes.

---

[1] Vide S. Alphons. de Lig., lib. VI, n. 589.

Pro nullo casu intendimus confessariis facultatem dare complices in peccato turpi absolvendi, iuxta tenorem bullae Benedicti XIV, quae incipit : *Sacramentum poenitentiae*. Absolvens, vel absolvere fingens, incurrit ipso facto excommunicationem maiorem Summo Pontifici specialissime reservatam.[1] Sola excipiatur extrema necessitas, nempe, si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit etiam non approbatus, qui absolutionem dare possit, vel si nequeat ille alius sacerdos vocari vel accedere sine gravi infamia vel scandalo. Tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiae aut scandali avertere, si possit.

In qualibet dioecesi huiusce Provinciae Marianopolitanae soli presbyteri dioecesani actualem iurisdictionem saltem in aliqua parte eiusdem dioecesis habentes, vocari poterunt a parocho vel eius vices gerente, ad confessiones audiendas, occasione cuiusvis pii et publici fidelium concursus.

Praeterea, omnes sacerdotes, sive regulares, sive saeculares, antequam ad sacri ministerii habituale exercitium admittantur, examini de tota disciplina in Conciliis Provinciae Marianopolitanae contenta, subiicientur.

DECRETUM X

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Clementissimus Redemptor Noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia

[1] S. Poen., 1 martii 1878 ; S. Off., 5 dec. 1883.

omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremae Unctionis sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit.

« Unde Extremae Unctionis sacramentum, a Christo « Domino institutum, tanquam coelestis medicina, non animae « solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia, « periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem « tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio « viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, « ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre « possint, dum sacro liniuntur Oleo »[1].

Ut autem ad id facilius perveniant, parochi moneant tanti sacramenti contemptum absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse non posse, atque conentur ex hominum animis evellere falsam illam opinionem, qua plerique hoc sacramentum, quasi supremam horam portendat, vel etiam acceleret, sibi suisque reformidant.

Parochus caveat ne, sua culpa, quisquam suorum moriatur sine Extrema Unctione. Quosquos igitur periculose aegrotantes compererit, benigne urgeat ad postulandum, cum adhuc integra mente et ratione sunt, tam opportunum Dei miserentis auxilium, siquidem cunctando periculum incurrunt, vel sine illo moriendi, vel illud in extremis, iam deficiente sensu, cum minore fructu percipiendi.

---

[1] Rit. Rom.

Quibus conferenda vel deneganda est Extrema Unctio

Extrema Unctio, utpote sacramentum vivorum, requirit in suscipiente gratiam sanctificantem ; quapropter praeire debet sacramentum poenitentiae, si infirmus in mortali versetur.

« Debet autem hoc sacramentum infirmis praeberi, qui, « cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut « periculum mortis imminere videatur, et iis qui prae senio « deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infir- « mitate.

« Infirmis autem qui, dum sana mente et integris sensibus « essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dede- « rint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, « vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilo- « minus praebeatur »[1].

Conferatur pariter pueris qui, etsi ad sacram communionem nondum admissi, ad eam tamen pervenerunt aetatem, in qua peccati probabiliter praesumuntur capaces.

« Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali « moriuntur », haereticis manifestis, « et excommunicatis et « non baptizatis, penitus denegetur »[2].

« In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, « nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in « periculum mortis incidat »[3].

Sacrum Oleum infirmorum cum magna religione tractetur

[1] Rit. Rom.
[2] Ibid.
[3] Ibid.

atque servetur. Habeat igitur illud parochus diligenter ditum, loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo stanneo, ab aliis vasculis speciali inscriptione distincto; quod quidem Oleum singulis annis, feria V. in Coena Domini, ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est.

DECRETUM XI

DE SACRIS OLEIS

Magna quidem veneratione digna sunt Olea Sacra quae solemni pompa feria V. in Coena Domini consecrantur ab Episcopo. Ideo meminerint sacerdotes ut ea semper et ubique asservent et deferant cum omni qua decet reverentia, ad Ritualis Romani praescriptionem. Si autem, defectu sacerdotis vel clerici in sacris constituti, aliquando quorumdam laicorum committantur curae, caveant parochi ne hi sint nonnisi viri religiosi, sobrii ac cauti.

Haec Sacra Olea in apposita capsula solida et nitida clavi diligenter occlusa in ecclesia tuto et decenter custodiantur. Quoad conservationem Olei sacri in domo parochiali, in casu magnae distantiae ab ecclesia, servetur Rubrica quoad honestam et decentem tutamque eiusdem custodiam [1].

[1] Cf. decretum S. Rit. Cong., 16 dec. 1826.

DECRETUM XII

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM

In omnibus quae ad moribundorum assistentiam spectant, Nos Patrum concilii Quebecensis Provincialis II vestigia sequentes, sedulo observari volumus Rituale Romanum, cuius hac super re auctoritas a S. Congregatione Concilii [1] recens comprobata est.

« Parochus, ut ait idem Rituale, in primis meminisse « debet non postremas esse muneris sui partes aegrotantium « curam habere ». Quibus ut nunquam desit, publice hortetur fideles suae paroeciae, tum etiam privatim, si fieri potest, medicum, ut ipsum parochum admoneant cum aliquem in paroecia graviter aegrotare contingat. Qua de re certior factus, ultro ad aegrotos accedat, non expectans ut vocetur. Nec muneri suo integre se satisfecisse putet, sacramentis administratis et indulgentia in articulo mortis impertita, sed insuper ab eo requiri sciat ut infirmos ulterius visitet « non semel tantum, sed saepius, quantum opus fuerit » ut eis consolationem et spirituale contra diabolicas insidias praesidium praestet in supremo praesertim vitae exitu.

Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut, si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim

---

[1] 23 martii 1873.

ipsum parochum (aut vicarium) accersant, ut morientem adiuvet eiusque animam commendet.

Si tamen ob infirmorum numerum, vel locorum distantiam, coeli intemperiem, magnam viarum difficultatem, aliave eiusmodi impedimenta, perpensis etiam personae aegrotantis circumstantiis, aliquis parochus aut sacerdos ad quem res spectat, se eximi existimaverit ab obligatione iterum visitandi moribundum, sacramentis iam rite munitum, quid consilii capiat ipse coram Domino pro sua conscientia viderit.

Ad hanc tamen excusationem adhibendam, nullatenus sibi suffragari putet qualemcumque consuetudinem, quae Ritualis Romani praescriptis sit contraria ; talem enim nullius valoris esse declaramus et decernimus. Si qua autem vera exstet excusatio, tunc saltem per laicos homines pios et christiana charitate praeditos auxilium aegrotanti offerendum curet.

Quum porro sacerdos ad aegrotum accessurus est, recordetur quam grande opus sit et quam Deo gratum, aliquem in vitae periculo positum ad sancte moriendum adiuvare ; quare sibi diffidens totamque spem suam in superno auxilio constituens, mentem ad Deum erigat, modum procedendi cum aegroto meditetur, oretque ut ministerium quo functurus est, ad infirmi salutem conferat.

Erga aegrotum benevolum et misericordem se ostendat, omnem interea quam sacerdotem Domini decet honestatem et gravitatem prae se ferens, maxime si visitanda sit mulier aegrotans.

Cum aliis de familia personis maxima circumspectione se gerere debet. Sit erga eas modestus et prudens, cunctis quidem benignus, omnem tamen mundanae levitatis vel umbram devitans, ut omnibus se intuentibus formam disciplinae,

verecundiae et pietatis praebeat, totaque eius conversatio aedificet ad salutem.

Antequam infirmum ipsum adeat, et praesertim quum ab eo iam se subduxerit, ne, urbanitatis praetextu cum propinquis aliisve adstantibus otiosa et prolixa colloquia habeat, sed statim post expletum officium suum, nisi vera quaedam necessitas aliter suaserit, ad sua redeat.

Ac si forsan infirmus convaluerit, consuetudinem facere cum eius familia sacerdos devitet, seduloque abstineat ab assiduis visitationibus quae non solum inutiles forent, sed aliquando periculum etiam aut scandalum parerent ; nam, ut ait S. Gregorius, « multum deorsum trahimur, dum locutione « continua cum saecularibus admiscemur, nec aliunde clerica« lis ordinis dignitas gravius offenditur, quam a nimia cum « laicis familiaritate ».

Quum vero sacerdos aegrotantem adierit, ante omnia spiritualis eius curae sollicitus sit, et qua poterit prudentia eum ad salutarem confessionem quam primum faciendam adducat ; ad quam quidem facilius peragendam, brevibus quibusdam opportunis et benignis interrogationibus eum adiuvabit ; efficacia quoque contritionis motiva, ut sunt beneficia divina et passio Dominica, ei suggeret, ac in quantum poterit, perfectum Dei amorem ei ingeret.

Memor sit quod si generalem confessionem, ut saepius accidit, suaderi expediat, integritasque materialis valde sit difficilis, eam tunc integritatem non ita urgere, ut rigorose de omnibus fiat inquisitio, cum id nimiam aegroto debili et fatigato molestiam inferret.

Parvam ei poenitentiam imponat confessarius quam coram

se statim implendam curet, indicendo tantum iustam poenitentiam opportuno tempore, si convaluerit, peragendam.

Si quae sint obligationes ab infirmo implendae, si reparatio in bonis famae aut fortunae facienda, si reconciliatio cum inimico peragenda, inducat aegrotantem, imo fortiter et suaviter urgeat ut haec fiant, ac saltem per modum legati alienum restituat, nisi forte, bona fide existente, illum in ea relinquere satius duxerit, attentis omnium rerum adiunctis.

Eumdem exhortetur, ut de rebus suis domesticis opportune disponat, suumque testamentum rite conficiat ; id enim tum familiae paci expedit, tum etiam conscientiae aegroti levamini. Qua tamen de re, sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam avaritiae notam incidat, cum praesertim de piis donationibus aut legatis res erit, nec unquam quidquam consulat, quod aliis praeiudicio vertere posset.

« Sacras imagines Christi Domini crucifixi, B. Mariae « Virginis et Sancti, quem aeger praecipue veneratur, ob oculos « eius apponi curabit. Vasculum item adsit aquae benedictae, « qua frequenter aspergatur » [1].

Studium vero suum quam maxime exhibeat sacerdos tum erga peccatores tentatos aut obduratos, eos praesertim qui religionis opem respuentes, prae caeteris divina misericordia indigeant, ut ad viam salutis reducantur ; tum etiam erga pauperes qui humanis auxiliis destituti, benigni et providi pastoris charitatem et operam requirunt, et quorum necessitatibus, si non potest ipse de suo succurrere, per aliorum saltem eleemosynas id praestari curabit [2].

---

[1] Rit. Rom.

[2] Ibid.

Cum rudibus simplici semper loquatur sermone, ignarosque de iis quae sunt scitu necessaria instruere, et ad actus fidei, spei et charitatis excitare ne omittat.

Unicuique aegroto, prout eius fert conditio, proponat aliquas orationes et pios ad Deum affectus, praesertim invocationem SS. Nominum Iesu, Mariae, Ioseph ; eum consoletur, pollicitus se pro eo in missae sacrificio aliisque precibus oraturum, curaturumque esse ut alii itidem faciant, quod reipsa praestabit. Attendat insuper ut visitationes ordinariae et exhortationes non nimis protrahantur, ne onerosum aegroto se reddat.

Postquam autem Sacrum Viaticum et Extremae Unctionis Sacramentum, servatis quidem servandis, aegrotanti administraverit, Benedictionem Papalem pro mortis articulo nequaquam omittat, de qua haec notanda sunt :

Hanc indulgentiam, positis omnibus conditionibus requisitis, moribundus reipsa accipit in vero mortis articulo, seu eo momento temporis quo mors realiter sequitur : si igitur sacerdos delegatus benedictionem dat ante hunc mortis articulum, adhuc suspensa usque ad illud instans manet indulgentia [1].

Hinc repetitio benedictionis in eodem articulo mortis non est facienda [2]. Atque licet dare benedictionem statim post Extremam Unctionem, etsi periculum mortis nondum sit imminens [3].

Formula autem Benedictina omnino ad valorem indulgentiae requiritur, ita ut si Viaticum, Extrema Unctio et Bene-

---

[1] Lehmk., tom. II, et alii.

[2] Decr. authent., 9, 257, 286, 362, 600.

[3] S. Ind. Cong., a Leone XIII appr., 19 dec. 1885.

dictio simul dantur, nihilominus *ter Confiteor* recitari debeat ; si autem mors instet, sacerdos incipiat a verbis : *Dominus noster* etc.[1] ; si mors proxime urgeat, dicat : *Indulgentiam plenariam* etc. Essentialis vero conditio quoque est « ut nomen « Iesu pie evocetur » ab infirmo, idque *ore*, si possibile est, alioquin *corde*[2]. Certo etiam pro conditione « iniungitur » ut ipsa « mors aequo ac libenti animo de manu Dei suscipiatur »[3].

Impertienda etiam est haec Benedictio pueris peccati capacibus, quamvis defectu aetatis primam communionem nondum susceperint[4], et generatim omnibus quibus Extrema Unctio administratur.

Preces autem quae in Rituali Romano habentur : « De « visitatione et cura infirmorum », « pro arbitrio sacerdotis, ex « ipso Rituali, dici vel omitti » possint. Sed volumus ut quae sub titulo « Ordo commendationis animae » aut quae « In « expiratione » dicenda assignat Rituale, ea etiam, quantum res sinet, diligenter recitentur saltem iuxta « Excerpta ex Rituali « Romano ad usum Provinciarum ecclesiasticarum Quebecensis, « Marianopolitanae et Ottawiensis ».

Non improbamus tamen sacerdotem qui, pro moribundi maiori fructu, quaedam latine recitanda omittat, ut vernaculo sermone agonizanti saepius suggerat breves hortationes aut orationes, piosque amoris affectus.

Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre, sufficienti intervallo interposito, post brevem con-

[1] Decr. auth., 286, 444.

[2] S. Ind. Cong., 20 sept. 1775 ; decr. auth., 247 ad 7.

[3] Instr. Ben. XIV.

[4] S. Rit. Cong., n. 4623 in fine.

fessionem aut accusationem peccatorum in genere, iuvabit. Si iam sensibus destitutus videatur, potest etiam salubriter ei dari absolutio sub conditione.

DECRETUM XIII

DE SACRAMENTO ORDINIS

Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile, ex Domini institutione, Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea fundari novum visibile et externum sacerdotium in quod vetus translatum est.

Quamvis autem omni tempore summam dignitatem sacrorum administri obtinuerint, tamen Novi Testamenti sacerdotes ceteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum corpus et sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quae illis collata est, omnem humanam rationem atque intelligentiam superat.

Declarat ergo Synodus huius tanti officii onus nemini temere imponendum esse, sed iis tantum, qui illud vitae sanctitate, doctrina, fide, prudentia, sustinere possint. Nec quisquam sumet sibi honorem sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

Itaque volunt Patres Concilii Marianopolitani ad clericos pietate et scientia informandos, ut saltem tribus annis post

peractum philosophiae cursum, in maiori seminario obedientiae et sacris literis unice se exerceant.

Cum antequam ordinentur, clerici interdum in paroecia sua commorantur, eorum agendi rationi incessanter invigilent parochi, ne lupi rapaces gregem invadant : caveant magnopere ne bonum de illis reddant testimonium, nisi ob piam ipsorum conversationem dignos eos invenerint. Itaque animarum rectores Synodus vult monitos gravis culpae reos fore, qui Episcopum monere negligerent cum tanto Ecclesiae damno.

Si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet ea omnia ab Ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. Quare necesse est ut Pastores, institutam sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligentius de Ordinis etiam sacramento sibi agendum arbitrentur.

DECRETUM XIV

DE PROPRIO EPISCOPO ET LITERIS TESTIMONIALIBUS QUOAD ORDINATIONES

Quod dudum sapientissime constitutum erat, nempe ut unusquisque a proprio Episcopo ordinaretur, hoc sacrosancta Tridentina Synodus [1] iterum sancivit. Qui autem sit proprius

[1] Sess. XXII, *De Reform.*, cap. VIII.

ordinandi Episcopus, declaratur ab Innocentio Papa XII [1]: « Is videlicet cui subditur ordinandus titulo sive originis, sive « domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis ».

Volumus igitur, ut ea quae in constitutione Innocentii XII continentur [2] in nostra Provincia adamussim serventur.

Denique declaramus iure canonico requiri ut, cum subditus vel a proprio Episcopo ordinatur, habeantur tamen testimoniales literae ab omnibus Episcopis in quorum dioecesibus tantum temporis, puta sex menses, ordinandus commoratus sit, ut impedimentum canonicum ibi potuerit incurrere.

DECRETUM XV

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Fidelium matrimonium, a Deo in officium naturae ab initio institutum, fuisse postea a Christo Domino elevatum ad dignitatem veri et proprii sacramenti novae Legis, causantis gratiam ex opere operato, veritas catholica est, ut continetur in Instructione Eugenii IV, pro Armenis, atque in Tridentina Synodo quae sic docet : « Cum matrimonium, in lege evange« lica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito « inter novae Legis sacramenta annumerandum sancti Patres,

---

[1] Const. *Speculatores*, 4 nov. 1694.

[2] Vide etiam decret. S. Cong. Conc., *A primis*, etc., 20 iul. 1898.

« Concilia et universalis Ecclesiae traditio, semper docuerunt [1]. Et definit : « Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et « proprie unum ex septem Legis evangelicae sacramentis, a « Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia « inventum, neque gratiam conferre, anathema sit » [2].

§ I — De servandis Ecclesiae circa matrimonium ritibus

Cum igitur adversus hanc fidei veritatem multi impii homines huius saeculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserint, sed, de more suo, praetextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiae catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerint, non sine magna Christi fidelium iactura, Nos eorum temeritati cupientes occurrere, statuimus quaecumque de sacramento matrimonii Patres Tridentini, Summique Pontifices decreverunt, in omnibus ac singulis huius Provinciae ecclesiis religiose esse observanda.

§ II — De impedimentis canonicis matrimonium dirimentibus

Ecclesiam semper potuisse ac posse in christianorum matrimoniis, iure proprio, impedimenta constituere quae non solum impediant matrimonium contrahendum, sed et nullum reddant quoad vinculum, atque causas matrimoniales spectare

---

[1] Sess. XXIV, *De Sacram. matrim.*

[2] Ibid., can. I.

ad iudices ecclesiasticos, etiam definitum est ab eadem sacrosancta Tridentina Synodo. [1]

Hinc docemus, ea matrimonia, non solum sub ratione sacramenti, sed etiam ratione vinculi sive contractus naturalis, invalida esse et nulla, quae cum impedimento dirimente canonico a fidelibus contrahuntur.

Hinc contra, declaramus tanquam valida habenda esse, quaecumque fiunt iuxta sanctiones canonicas.

Parochi tamen moneant fideles de iis quae lege saeculari praescripta sunt, ne matrimonium careat effectibus civilibus, vel alia inde eveniant incommoda.

§ III — De officio parochi circa celebrationem matrimonii

« Parochus igitur admonitus de aliquo matrimonio in sua « parochia contrahendo, primum cognoscat ex his ad quos « spectat, qui et quales sint, qui matrimonium contrahere « volunt : An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum : « Utrum sponte, libere, et secundum honestatem sacramenti « contrahere velint : Utrum sint in aetate legitima, ut vir « saltem quatuordecim, mulier duodecim annos expleverit ; et « an uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos « docere debeant.

« Noverit ex probatis auctoribus quae sint canonica « impedimenta matrimonii contrahendi, et quae contractum « dirimant ; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et « item cognationis spiritualis, ex Baptismi vel Confirmationis « sacramento contractae.

---

[1] Sess. XXIV, *De Sacram. matrim.*

« Habeat in primis ipse bene cognita praecepta illa omnia, « quae in matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri Canones, et praecipue sancta Synodus Tridentina iussit : « detque operam, ut illa in sua parochia accurate exacteque « serventur » [1].

§ IV — De proclamatione matrimonii

« Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio « contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis, in « ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuntietur inter « quos matrimonium sit contrahendum ; quibus denuntiatio- « nibus factis, si nullum legitimum impedimentum opponatur, « ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur » [2]. sed si quid obstat, ultra parochus non procedat [3].

Hinc si noverit impedimentum aliquod adesse, nedum dirimens, sed vel duntaxat impediens, debet assistentiam suam denegare, statimque recurrere ad superiorem qui opportune consulere et providere valeat.

Si vir et mulier ad diversas parochias pertineat, in utraque parochia fiant denuntiationes.

Si sponsi non semper commorati sunt in parochia quam nunc incolunt, denuntietur insuper matrimonium in ea ex qua veniunt, nisi habeant domicilium sex mensium in paroecia, in qua versantur. Servetur haec regula etiam erga eos qui ex aliena veniunt dioecesi.

[1] Rit. Rom.

[2] Conc. Trident., sess. XXIV, *De Reform. matrim.* cap. I.

[3] Rit. Rom.

Si sint minores, banna publicentur in paroecia ubi extant et in paroecia eorum quorum auctoritati subsunt. De maioritate et minoritate quod spectat ad proclamationes standum est legi civili.

« Si vero infra duos menses post factas denuntiationes « matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur » [1].

§ V — De celebratione Matrimonii

In locis ubi iam publicatum est decretum *Tametsi*, moneantur fideles, eos qui aliter quam, praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, ex hoc Concilii Tridentini decreto, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddi, irritosque et nullos esse huiusmodi contractus.

Est autem proprius parochus, is, in cuius parochia, vir seu mulier habet domicilium aut quasi domicilium.

Si sponsi non sint eiusdem parochiae, decet quidem ut celebretur matrimonium in parochia mulieris.

Liberum sit tamen sponso celebrationem habere in propria parochia, si voluerit, nec ab eiusmodi optione eum deterrere praesumat sponsae parochus, cui etiam vetatur ne testimonium de bannorum proclamatione recuset.

Ad celebrationem autem matrimonii non procedat parochus, nisi constiterit banna proclamata fuisse ubi de iure proclamari debent, aut a facienda proclamatione fuisse dispensatum.

Sponsi, quando duplex habent domicilium, alterutrum

[1] Rit. Rom.

eligere possunt ad sui matrimonii celebrationem, servatis ad proclamationem bannorum praescriptis.

Quoad vagos qui nullam aut nonnisi incertas habent sedes, contrahere debent coram parocho loci in quo degunt, dum contrahunt. At iuxta praeceptum Sanctae Tridentinae Synodi, caveant parochi, « ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius « diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, « ab eo licentiam id faciendi obtinuerint » [1].

Matrimonio non iungantur qui rudimenta christianae doctrinae penitus ignorant.

Pastores animarum monemus ut, sui officii memores, omnem adhibeant sollicitudinem ad rite disponendos fideles qui sacramentum Matrimonii suscipere volunt.

Admoneant coniuges, ut antequam contrahant, in eadem domo non cohabitent ; item ut sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimam Eucharistiam atque ad Matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant, et, quomodo in eo rite et christiane conversari debeant, diligenter eos edoceant.

Matrimonium in ecclesia celebretur ; atque omnia serventur quae pro ipsius celebratione, tum in Rituali, tum in Missali Romano, praescribuntur.

---

[1] Sess. XXIV, *De Reform.* cap. VII.

DECRETUM XVI

DE CATHOLICIS QUI AD PRAESTANDUM MATRIMONIALEM CONSENSUM, CORAM ACATHOLICO MINISTRO SE SISTUNT

Sponsi catholici qui, per summum nefas, sacerdotum neglecto ministerio et spreta Ecclesiae auctoritate, coram ministro haeretico, uti sacris addicto, contrahunt, non solum lethaliter peccant et gravissimum scandalum praebent, in divinis cum haereticis communicando, sed insuper excommunicatione Romano Pontifici reservata innodantur.

Mandamus autem omnibus parochis ut, bis in anno, in Epiphania Domini et in dominica in Albis, hoc praesens decretum in ecclesia sua parochiali vulgari sermone distincte legant, et, si hoc necessarium videtur, explanent.

Sciant parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum, sacris addictum, ad consensum matrimonialem praestandum, se rem silentio dissimulare non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris, in quas incurrunt [1]. Quod si consensum coram parocho velint renovare, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, parochus huic matrimonio non intererit.

[1] Cf. decret. S. Offic., 17 dec. 1864 ; 12 dec. 1888.

nisi antea, servatis servandis, hi catholici facti poenitentes praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite obtinuerint. Eadem vero excommunicatione R. P. reservata eos teneri declaramus, qui coram ministro protestante mixtum matrimonium contrahunt.

DECRETUM XVII

DE MATRIMONIIS MIXTIS

Ecclesia semper aversata est nuptias inter Catholicos et acatholicos, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob gravissimum periculum vel perversionis Catholicae partis, vel pravae institutionis prolis nasciturae. Hinc fit ut quando de impedimento mixtae religionis agitur, Ecclesia sine gravi causa et absque promissione adhibendi cautiones, quibus periculum pro parte Catholicae et prole fiat remotum, numquam dispenset. Cautiones autem sunt sequentes : « ut, scilicet non « solum Catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, « quin imo Catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholi- « cum, pro viribus ab errore retrahendum : verum etiam, ut « universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis « procreanda, in sanctitate Catholicae religionis educari omnino « deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari « nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege « fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam

tectamque teneri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis « temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam « perversionis periculo committunt » [1].

Volumus quoque in nostra Provincia a partibus exigi ut promittant se ante vel post matrimonium non adituras haereticum ministellum, atque universam prolem in catholica religione esse educandam, etiam mortua iam catholica parte.

Hae tamen cautiones nonnisi *conditionem sine qua non* constituunt ; sed causam requisitam non praestant ad obtinendam pro mixtis matrimoniis dispensationem. Quare ad hanc concedendam minime sufficit ut sponsi illas cautiones admittere parati sint ; sed insuper *iusta gravisque causa canonica* omnino requiritur ; sine quibus permitti prorsus nequit, ut fideles gravibus fidei ac morum periculis, etiam sub opportunis cautionibus, sese exponant. Hac in re attendenda etiam sunt locorum, rerum et personarum adiuncta, praesertim ubi periculum est gravioris mali, ne videlicet, denegata dispensatione, matrimonia mixta nihilominus, idque sine cautionibus, clandestine contrahantur.

Quum autem matrimonium mixtum post praestitas debitas conditiones superius indicatas et dispensatione obtenta contrahitur, illud tanquam legitimum, ut patet, haberi debet.

Curent etiam omnes quibus animarum cura concredita est, ut mala ex matrimoniis mixtis enascentia efficacissimis quibusque mediis praecaveantur, aut si tolli omnino non

---

[1] Vide in App. Instr. *De Matrim. Mixtis, ad omnes Archiep.*, 15 nov. 1858, et Inst. S. Cong. de Prop. Fide, mart. 1878.

possunt, saltem maxima ex parte minuantur. Ad hunc autem finem assequendum maxime conducit :

1. Frequens parochorum instructio qua fideles edoceantur de Ecclesiae prohibitione mixtorum matrimoniorum.

2. Praxis uniformis eorumdem parochorum in casibus occurrentibus impediendi totis viribus, hortationibus, suasionibus, necnon increpationibus, ne huiusmodi coniugia ineantur.

3. Examen accuratum de canonicis et gravibus causis quae requiruntur pro dispensatione super hoc mixtae religionis impedimento concedenda.

4. Post celebratas autem mixtas nuptias, parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi ut promissae a coniugibus conditiones observentur et effectum sortiantur.

DECRETUM XVIII

DE DIVORTIO

« Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus « humani generis parens divini spiritus instinctu pronuntiavit, « cum dixit [1] : *Hoc nunc, os ex ossibus meis : et caro de carne mea « quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaere- « bit uxori suae, et erunt duo in carne una* » [2].

---

[1] Gen., II, 23, 24.

[2] Conc. Trident., sess. XXIV, *De Sacram. Matrim.*

Hinc omnino abhorrendum est ab illa divortii proprie dicti, seu a vinculo, doctrina, vi cuius quod Deus coniunxit homines separare praesumunt. Iuxta enim hanc damnatam doctrinam « Matrimonii Sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, iuxta damnatos haereticorum errores, atque adversus Catholicae Ecclesiae doctrinam, matrimonium tanquam civilis tantum contractus habetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sancitur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferuntur tribunalia ut ab illis iudicentur; cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicae Legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum : atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri ac mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere » [1].

Meminerint igitur omnes, inter errores damnatos sequentem propositionem in Syllabo adiecto Encyclicis Literis *Quanta cura*, 8 decembris 1864, recenseri : « Iure naturae matrimonii vin-

[1] Pius IX, Alloc., 27 sept. 1852.

« culum non est indissolubile, et in variis casibus divortium pro-
« prie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

Proinde non sine magno animi dolore catholicorum constituta est civilis *curia divortii*, cuius munus est divortium a vinculo pronuntiare propter causam adulterii. Praeterquam enim quod talis lex, Dei omnipotentis et sapientissimi institutionis sit subversio et Ecclesiae Christi iurium usurpatio, utpote cujus est causas matrimoniales iudicare, nemo ignorat aut ignorare potest quot et quanta mala ex tali divortio dimanent, quae illud societati civili infensissimum reddunt. Sub spe enim divortii futuri matrimonia imprudenter contrahuntur ; iurgia, et, horribile dictu ! ipsa adulteria provocantur ; vinculum caritatis inter familias irreconciliabili odio locum cedit ; fortunae in discrimen ponuntur ; tota societas scandalizatur. Quid tandem de miserrimis filiis fiet, quorum parentes divortium obtinuerunt !

Nos vero, quos Deus speculatores posuit in hac parte Ecclesiae suae, dioecesanos nostros semper meminisse volumus nullum posse, salva conscientia, in tali curia divortii actoris partes agere, vel iudicis, vel notarii seu cancellarii formaliter, vel alio quocumque modo concurrere ; tamen non intendimus damnare eos qui coacti testimonium ferrent de ipso facto adulterii.

Vix revocandum est in omnium memoriam nulli licere ad alias nuptias accedere quamdiu vivit altera pars a qua separatus est auctoritate, seu potius usurpatione curiae divortii.

Quod autem ad divortium improprie dictum, scil. a thoro et mensa, spectat, volumus et decernimus nostrae Provinciae fideles, ad illud obtinendum, tribunalia civilia,

inconsulta auctoritate ecclesiastica, non adire. Si quis id attentaverit, sciat se gravem reatum incurrere et pro Episcopi iudicio puniendum esse.

DECRETUM XIX

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

Sapientes et gravibus motivis fultae sunt regulae ab Ecclesia institutae de cognationis et affinitatis impedimentis, quoad matrimonium contrahendum.

Multum ergo deploranda est frequentia nunc praevalens supplicum libellorum ad dispensationes super praedictis impedimentis obtinendas, quandoque sub levissimo praetextu. In quantum possibile est, tales uniones inter proxime cognatos vel affines praepediant parochi.

Quod attinet ad matrimonium ab hominibus non plene cognitis, et praesertim a viduo vel vidua contrahendum, sedulo curent de illorum statu libero explorando, etiam per authentica documenta, cum haberi possunt. Qua in re accurate serventur normae Sancti Officii, an. 186[illegible], ad probandum obitum alicuius coniugis.[1]

Studiose inquirant de diversis cognationis naturalis vel spiritualis, affinitatis, publicae honestatis, caeterisque impedimentis, quae forte inter partes constarent ; nec satis esse

[1] Vide in App. instruct. S. Off.

censeant ipsas interrogare, quando aliquod remanet dubium, sive de earum bona fide, sive de cuiuspiam impedimenti existentia. Tunc autem aliorum testimonia, praesertim seniorum, atque etiam acta publica adhibenda sunt; nulla est enim nimia cautio ad matrimoniorum nullitatem praecavendam.

Cum vero quaeritur in his causis « de valore contractus « vel aliquo iure ex ipsius valore, vel nullitate fluente [1] », scilicet cum dubitatur num matrimonium valide celebrari possit, aut an rite initum fuerit, seu etiam certa est nullitas matrimonii celebrati, meminerint qui curam animarum habent, a Sacro Concilio Tridentino [2] et etiam a sac. mem. Benedicto XIV [3], istarum causarum cognitionem omnibus iudicibus inferioribus fuisse sublatam, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatam. Ad illos ergo pertinet in huiusmodi causis ferre sententias, quae vere non sunt pronuntiandae, nisi intervenerit ex officio defensor matrimoniorum, qui secundum praescripta a S. P. Benedicto XIV sedulo in omnibus munere suo fungatur.

Hinc tutius erit nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam, conficiantur [4].

In adiunctis huius Provinciae expediret igitur ut Episcopi parochos specialiter delegent ad conficiendos processus et relationem mittendam, cum testes ad curiam episcopalem

---

[1] Bouix, *De iudiciis.*

[2] Sess. XXIV, *De Reform.*, cap. XX.

[3] Const. *Dei miseratione.*

[4] Instructio S. Cong. Concilii *Super confectione processus in causis matrimonialibus.*

adeundam praesto non sunt, exceptis tamen casibus in quibus agitur de nullitate matrimonii declaranda [1].

Volumus ut ad Ordinarium referatur quidquid pertinet ad matrimonium contrahendum, vel a peccatore publico, praecipue si nomen dederit illicitae societati; vel a minoribus, qui legalem parentum aut tutorum consensum nequeunt exhibere; vel a quacumque persona provinciae aut dioecesi extranea.

Quoad matrimonia cum scandalosa legum transgressione contracta, parochus, quantumvis ipsi videatur expedire ut publica fiat reparatio, nihil prorsus agat, nisi permissionem vel mandatum Ordinarii obtinuerit.

Monemus etiam viros ecclesiasticos ne se immisceant in matrimoniis cuiuscumque generis, nisi quando sacerdotalis charitas et prudentia id suadebit.

---

[1] Const. *Dei miseratione*.

TITULUS VII

DE EDUCATIONE CLERICORUM

DECRETUM I

DE IUVENIBUS AD CLERICALEM STATUM INSTITUENDIS

Certum est nihil ad propagandum Dei regnum utilius, nec ideo indefessis sacerdotum curis dignius esse, quam vocationes ad clericalem statum mature et sedulo colere. Vestigia ergo secundi Concilii Quebecensis prosequentes, hortamur in Domino omnes presbyteros, praecipue vero parochos et Seminariorum Collegiorumque directores, ad istas vocationes indesinenter et omni modo fovendas ac tuendas, tum apud parentes, tum apud alumnos ; tum privatis colloquiis, tum in directione spirituali, tum ex propria pecunia, tum ex divitum fidelium abundantia.

Parentes, iique omnes qui eorum vices gerunt, prudenter abstineant ab impellendo ad tantam officii dignitatem adolescentes qui huic statui repugnent, vel nullum divinae vocationis signum exhibeant.

Sed si contra adverterint et ex prudentium virorum consilio dignoverint aliquem ex suis filiis in sortem Domini vocari, ne temere audeant divino consilio obsistere, sed diligenter invigilent ne vocationis germina pestifera saeculi aura corrumpat.

Minoribus seminariis praepositi omnem impendant industriam quo adolescentes ipsis commissi, a teneris annis, aliquid identidem opportune propositum audiant de gravi necessitate statum vitae seligendi, et speciatim de vocatione ad statum clericalem.

Tenetur adolescens, qui inter Dei ministros cooptari desiderat, vel a primis curriculi annis, sese exercere ad pietatem, memor horum verborum : *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescientia sua* [1], totusque esse ad scientiam acquirendam. Ad quod certius promovendum, apud omnia Collegia et Seminaria minora huius Provinciae, liber servetur in quo, ut communiter fit, singula alumnorum inscribantur nomina cum eorum notis de moribus,de diligentia, nec non de successu in quaque curriculi materia.

Magnopere commendamus quae sapientissime in Concilio Plenario Baltimorensi III edicuntur : « Industriam ponant « (magistri) ut pueri urbanitatis leges addiscant et ad quamdam « morum comitatem informentur. Ita sermonem, gestum, « incessum, vestitum, verbo omnia quae exteriorem hominem « spectant, temperare doceantur, ut in toto corporis habitu « ipsisque vestibus appareat decora quaedam concinnitas, quae « aeque a plebis rusticitate, et ab exquisita hominum saecula- « rium elegantia, remota sit. Quidquid igitur in eorum moribus

[1] Thren., III, 27.

« asperum et durum, inurbanum et dissonum notaverint, in « melius corrigere et elimare studeant. Sane christiana urbanitas « et morum suavitas, quae ex charitate et humilitate prodeunt, « clericis ornamento sunt et dignitati, splendorisque non « parum doctrinae et pietati afferunt, idque demum efficient ut « ministri Dei hominibus sese acceptos reddant, eosque facilius « Christo lucrifacere valeant . . . Curent etiam magistri ut in « legendo et recitando, verba clare, articulate et destincte ac « cum recta accentuatione, syllabarum quantitatis ratione « habita, efferant discipuli, memores moniti Pontificalis « Romani [1] : Studete verba Dei, videlicet lectiones sacras, « distincte ac aperte, ad intelligentiam et aedificationem « fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre : ne « veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem « audientium corrumpatur » [2].

Quicumque ad honorem deferendae clericalis vestis admitti desiderat, teneatur hanc permissionem *scripto* postulare ab Ordinario, et simul sequentia testimonia et documenta exhibere, prout statuit Conc. Quebecense VII [3] :

a) Testimonium de Baptismo et Confirmatione susceptis ;

b) De bona vita :

c) De consueti patrimonii sibi opportuno tempore constituendi possibilitate vel impossibilitate ;

d) Promissum propria manu scriptum et subscriptum quod dioecesi refundet omnia expensa quae episcopus pro eo

---

[1] D. ord. Lect.

[2] Tit. v, *De cler. educat.*, nn. 143 et 148.

[3] Decr. IX.

insumpserit usque ad eius presbyteratum : a qua tamen obligatione immunes erunt, qui sive ante, sive post susceptum presbyteratum, Deo vocante, religiosum statum amplexi fuerint in eoque professionem religiosam emiserint :

e) Testimonia a singulis Episcopis in quorum dioecesibus versatus fuit ;

f) Testimoniales literas a Concilio Collegii in quo studia sua perfecit, quibus de divinae vocationis signis apud eum deprehensis moderatores testentur.

Antequam admittatur ad tonsuram et ad subdiaconatum promoveatur, unusquisque teneatur hunc favorem ab ipso Episcopo scripto postulare, ut plane pateat ipsius recta voluntas ad tantum onus ultro appetendum. Quae postulatio non requiritur ad alios ordines suscipiendos.

Qui sub titulo missionis ordinandi sunt, iureiurando se obligent, iuxta praescripta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ad impendendum suum ministerium, laborem et curam in rebus divinis ministrandis apud eam dioecesim pro qua ordines suscepturi sint, et ad sese devovendos pro animarum salute sub directione et iurisdictione Ordinarii pro tempore existentis.

Bis in anno Directores Seminarii vel Collegii inter se conferant de vocatione clericorum, de eorum capacitate, necnon de eorum progressu in pietate, in observantia regularum et studiis, et relationem ad Episcopum dirigendam parabunt, in qua notentur cuiusque indoles, mores, pietas, diligentia in addiscendo, in observandis regulis, in officiis, si quod habent, ex. gr. magistri, institutoris, adimplendis, propensio circa ea quae spiritum ecclesiasticum ostendunt, et insuper Concilii opinio de iis qui ad ordines promovendi sunt.

DECRETUM II

DE CLERICIS IN MAIORIBUS SEMINARIIS INFORMANDIS

Sane quidem ad Ecclesiae decus, utilitatem populi christiani animarumque salutem requiritur, ut sacerdotes scientia et sanctitate polleant. Cuius quidem rei conscii Patres Tridentinae Synodi statuerunt [1] ut in singulis dioecesibus, pro modo facultatum et amplitudine, seminaria erigerentur, quorum alumni cum literis et scientiis erudirentur, tum etiam vocationem suam sacerdotalem, si qua donarentur, diligentissime excolerent. Huiusmodi autem alumnos providissimo consilio in varias classes dispertiendos suaserunt, iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica profectum, ut scilicet institutioni tenerioribus annis accommodatae, solidior dein succederet clericorum educatio, qua ad altiorem illam, quae sacerdotis propria est, disciplinam gradatim perducerentur ; prouti fieri consuevit in seminariis, quae Maiora sunt appellata. Salubre autem PP. Tridentinorum consilium magis magisque necessarium nostrorum temporum adiuncta fecerunt. In tam enim effrenata errorum licentia et tam relaxata morum disciplina, nisi adolescentes clerici, inter Maioris Seminarii septa, diu diligenterque exculti, pietatem ac doctrinam alte

---

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, cap. XVIII.

animis recipiant, vix sperandum est eos ministerio suo pares evasuros.

Integer enim requiritur Maioris Seminarii cursus ut solidae virtutes acquirantur, ut mens ecclesiasticae perfectionis regulas imbibat, ut sensim et per gradus induat vitae sacerdotalis consuetudines, urbanitatem, modestiam in habitu, gestu, sermone, et alia huiusmodi, quae moribus profunde insideant et nulla vi deinceps excuti possint. Tantum autem opus sine diuturno tempore collatisque in hunc finem adsiduis conatibus frustra tentaretur.

Nobis igitur in hanc provincialem Synodum congregatis, nihil antiquius esse declaramus, quam ut omnes et singuli nostrarum dioecesium iuvenes ecclesiastici integrum in Maiori Seminario studiorum suorum curriculum emetiantur.

Interim, quoad finem optatum attingere possimus, sequentia statuimus :

1. Clerici qui in collegiis retinentur, ad iuventutis educationem minime adhibeantur tanquam professores literarum aut scientiarum, sed tantummodo ut praepositi ad rem disciplinarem ; ita ut impletis officii sui muneribus, reliquum omne tempus impendere possint studiis ecclesiasticis.

2. Omnes per tres saltem annos integros in Maiori Seminario commorentur, ut in pietate et in scientiis ibidem exerceantur.

Quod autem ad studiorum rationem attinet, pro rata temporis portione, quo scholas ecclesiasticas frequentare poterunt, ediscant alumni :

1. *Theologiam dogmaticam*, sive *positivam*, quae veritatem demonstrat libris scriptis et sine scripto traditionibus, sive

scholasticam, quae ex principiis revelatis conclusiones demostrando deducit, atque per analogias et similitudines veritatum naturalium, supernaturalia dogmata illustrat. Ducem autem adhiberi volumus, ad mentem Summi Pontificis, Sanctum Thomam, adhibitis etiam optimis inter recentiores theologis, ut scientiarum progressui et modernorum errorum refutationi theologica institutio accommodata evadat.

2. *Theologiam moralem*, sive practicam, iuxta vestigia S. Alphonsi de Ligorio, sive scientificam, duce S. Thoma in IIa IIae, ad cuius principia referantur huius aetatis quaestiones sociales.

3. *Sacram Scripturam*, iuxta sapientissimas praescriptiones in Encyclica Leonis PP. XIII *Providentissimus Deus* contentas.

4. *Linguam hebraicam*, pro selectis alumnis, quod multum confert ad sacram exegesim.

5. *Historiam ecclesiasticam*, in his potissimum immorando, quibus a falsis opinionibus historica veritas vindicatur, atque ostenditur quanta bona ex Ecclesiae institutis in humanam societatem promanarint.

6. *Ius canonicum*, ea imprimis attendendo quae ad praesentem Ecclesiae disciplinam spectant, et speciatim explicando, etiam ope codicis huius Concilii, nostram particularem disciplinam.

7. *Sacram eloquentiam*, tradendo christianas praedicandi regulas, nec omittendo quae respiciunt accuratam lectionem publicam rectamque verborum pronuntiationem. Quo loco maxime commendatas volumus clericis politiores literas, quibus tanta vis inest, et latinam linguam, cuius tantus in sacris scientiis et in ecclesiastica disciplina est usus.

8. *Rituum sacrorum et caeremoniarum formas*, cum *cantu Gregoriano*, cuius quidem habendae sunt lectiones et theoreticae et practicae.

9. Insuper quum tantum momentum insit rectae philosophiae ad iuvenum mentes contra errores communiendas et sacrae theologiae apte praeparandas, praeter ea quae circa hoc studium infra statuentur, hic valde commendamus ut in priori anno cursus theologici in scholastica etiam philosophia alumni exerceantur.

Ut autem animi ad studia acrius excitentur, nonnulla adhibeantur media, ut v. g :

1. Varia examina, tum scripta, tum viva voce.

2. Disputationes publicae et scriptae dissertationes.

3. Praemia ad diligentiorum operam honestandam.

4. Academiae, in quibus periti res alumni tractent varias quaestiones maioris momenti pro clericis.

Ex his vero disciplinis latina lingua tradentur saltem theologia dogmatica et moralis, ius canonicum et scriptura sacra, atque etiam habeantur disputationes publicae.

Clerum ergo nostrum obsecramus, ut nos collatis viribus adiuvet ad hanc maioris seminarii educationem omnibus nostris clericis quam celerrime procurandam, et graviter monemus ne quis audeat quidquam directe aut indirecte moliri ut hoc sancti Concilii propositum inane reddatur. Faveant itaque sacerdotes inopibus clericis per legata pia et fundationes quae committantur Episcopis, adhortenturque fideles ut et ipsi, simili modo, liberalibus largitionibus opitulentur, ita ut ad optatum exitum hoc praeclarum opus quamprimum perducatur.

DECRETUM III

DE COLLEGIO CANADENSI ROMAE

Quum Summorum Pontificum ea semper cura extiterit ut sacrae scientiae fons purus ac plenus ad christianae fidei confirmationem atque incrementum deflueret, hinc plura eaque florentissima Athenaea ipsa in Urbe excitanda curarunt, ubi tutam atque intemeratam doctrinam, una cum sanctissimis morum principiis, adolescentes clerici ex omnibus mundi plagis haurirent. Hinc fit ut universarum prope gentium alumni Romam, in suam quique altricem domum, conveniant, ut in illo catholicae veritatis centro educati, et communis Matris veluti lacte enutriti, mox in universum orbem dispersi, unum Deum, unum Christum, unam Ecclesiam, unumque Pastorem supremum ubique docere et praedicare satagant.

Ut vero, inter tot illustria ephebornm Collegia, Canadensis etiam natio suum cum dignitate locum haberet, presbyteri Congregationis S. Sulpitii iam pridem effecerunt. Eorum enim opera et sumptibus, Episcoporum votis praeeuntibus et civili favente Gubernio, Collegium Canadense Romae conditum est, in quod nostri clerici studiorum causa convenientes, opportunitatem haberent, una cum pura doctrina, doctoralem lauream assequendi, atque illum toto pectore haurirent catholicae pietatis halitum, qui ex Apostolorum sepulchro et ex vividis in alma Urbe tot Martyrum ac Sanctorum Pontificum sacratissimis memoriis spirat.

Quam acceptum autem Summo Pontifici egregium hoc opus extiterit, non uno ipse testimonio significavit. Illud vero prae caeteris memoriae consignare visum est, quod quum primi moderatores et alumni Collegii SSmum D. N. Leonem PP. XIII adierunt, quinquagesimo ab eius sacerdotio anno cum universi orbis plausu expleto, Sanctitas Sua, coelestem advocans in recens Collegium benedictionem, benigne testata est nullum sibi festivum munus gratius quam hoc praeclarum religionis monumentum accidisse.

Quapropter huius Provincialis Concilii Patres, publicum grati animi sui testimonium piis et munificis Collegii fundatoribus exhibentes, hanc altricem domum omni favore prosequi atque ad eius incrementum viribus omnibus incumbere sibi praestituunt. Adnitentur etiam ex unaquaque huius Provinciae dioecesi ad eamdem domum quotannis selectos alumnos mittere, qui corpore sani et animi dotibus praestantes optimam de se spem praebere videantur. Cupiunt pariter iidem Patres ut noster etiam clerus benevolum se ac proclivem in hoc Collegium ostendat, summisque laudibus dignos eos ducunt, qui collata pecunia alumnos benemeritos egenosque adiuvarent, ut annos quosdam utiliter admodum in illo sacrae scientiae domicilio agant.

Hortamur demum iuvenes qui divino sacerdotio adspirant, ut in Seminariis et collegiis huius ecclesiasticae Provinciae sic animum studiis intendant, et pietati ac disciplinae incumbant, ut digni habeantur qui ad studia perficienda in Almam Urbem mittantur.

DECRETUM IV

DE SCIENTIA ECCLESIASTICA PROMOVENDA

Ut sacerdotes rite ministerio suo fungantur, sibique debitam auctoritatem concilient, idonea scientia instructi atque ornati sint oportet. Dicit enim Scriptura : *Labia sacerdotis custodient scientiam*, [1] eaque, ut pulchre aiebat S. Franciscus Salesius, una cum pietate veluti geminum sacerdotalis vitae lumen constituit.

Huiusmodi autem scientiae praesidium vel maxime in sacerdote nostra haec aetas requirit, in qua literae ac profanae disciplinae mirum in modum expolitae atque vulgatae omnium in admirationem sui animos rapuerunt, ac pene omnes civitatis ordines pervaserunt. Indecorum proinde ac summopere noxium catholicae religioni accideret, si eius sacri ministri inscitiae notam incurrerent, atque arcam scientiae e levitarum manibus ereptam apud hostes versari permitterent.

Quamobrem valde ab officio suo ille deficeret, qui semel ac sacerdotio auctus, imperfecta studiorum pensa deponeret, exteriori solum ministerio occupatus, aut ad otium et desidiam deflectens. Contemptui sane sacerdos habebitur qui rudem se atque a literis scientiisque alienum ostendet ; et fiduciae penes alios expers, vix exiguos ministerii sui fructus reportabit.

---

[1] Malach., II, 7.

Magna autem et perennis presbyteri studiis materia praesternitur: atque in primis ars artium, animarum scilicet regimen, quo pertinent vitae spiritualis principia, orationis normae et species, discretio spirituum, industria qua zelus utitur.

Patet iisdem studiis liber Scripturarum, liber vel maxime sacerdotalis, cuius sedula lectio et meditatio nunquam deseratur. Comparare quidem sibi studeant sacerdotes copiosae ac sanae eruditionis apparatum, quo ad scientificam S. Scripturae defensionem et expositionem idonei instructique reddantur; verum praecipua cura eo intendant ut, divina opitulante gratia, sacram inde hauriant, ad propriam aliorumque aedificationem, doctrinam, divinum rogantes Agnum ut fracto sigillo aperiat sensum, quo cor legentis calescat et ardeat.

[illegible]em spiritu revolvendi sunt annales ecclesiastici et vi[illegible]rum. Sacri item Ecclesiae canones diligenter sunt edis[illegible]di; si enim turpe est civi nescire leges patrias, dedecori esset presbytero, si expers esset et ignarus ecclesiasticae disciplinae aut sacrae Liturgiae regularum.

Multi autem viri auctoritate graves queruntur a clero fere negligi sanctorum illorum opera, quos sancta mater Ecclesia praeclaro Patrum nomine decorat, existimantque arescere sacram eloquentiam, propterea quod a tam uberi fonte non satis hauriatur. Quicumque igitur vult esse prudens theologus, efficax concionator, et accuratus Scripturae interpres, Patrum opera perlegat et perlecta crebro revolvat.

Dogmatum autem nexum et analogiam cum iis quae naturaliter humana ratio cognoscit, a sincera sancti Thomae doctrina accipiant presbyteri, cuius aurea Summa ab eorum manibus ne discedat. Dolemus quod non plures sint qui eam

pervolvant ad extremum, pervolutamque retractent, quum experti conscientiarum moderatores testati sint, se non minus profuisse presbyteris suadendo lectionem quotidianam Summae quam exhortando ad assiduitatem meditandi et orandi. Hoc autem, inter alia multa, emolumentum non spernendum a consuetudine Summae percipient, ut moralis theologiae non tantum artem practicam et casus discant, sed scientificam et ex principiis ordinatissime fluentem tractationem assequantur.

Neque presbyteros decet inscios esse doctrinarum altiorumque quaestionum de societatis et civitatis temperatione. Haec enim et similia perutiliter discentur, ut circa huiusmodi res eae propugnentur efficaciter doctrinae, quae cum divina revelatione apte cohaereant.

Denique inter aptas rationes quibus promoveri queunt sacerdotum studia, duas auctoritate huius sancti Concilii sancimus et firmamus, quas singuli sacrorum Antistites, pro sua quique dioecesi, arctioribus constitutionibus communient, nempe : examen iuniorum presbyterorum et ecclesiasticas collationes.

Iubemus igitur ut per quatuor saltem annos ab ordinatione computandos, omnes iuniores presbyteri, nisi rite excepti, quotannis coram Episcopo eiusve delegatis accuratum examen subeant. Huiusmodi autem specimina, praefinita antea ab Ordinario eorum materia, ita disponi cupimus ut omnia quae praecipua sunt, tum in dogmatica, tum in morali theologia, apto ordine in successivis experimentis recoli et exponi ab examinandis debeant.

Qui quaestionibus non satisfecerit, aut qui quacumque de causa examen praedictum dare non potuerit, tot aliis subiicietur examinibus, quot insufficientia aut omissa fuerint declarata.

Volumus etiam ut iidem presbyteri, quando ad examen accedent, duas conciones de argumento quod Episcopus praestituerit, a se per decursum anni compositas, scripto exhibeant.

Notae autem et rationes de examinibus et concionibus singulorum diligenter in secretiori Episcopi archivo custodiantur, quae ad eligendos pastores valde proderunt.

Praecipimus insuper ut omnes eiusdem districtus parochi, vicarii, capellani, aliique non excepti sacerdotes, certis diebus, pluries per annum iuxta praescripta dioecesana, ad ecclesiasticas collationes conveniant, studiose pertractaturi quaestiones quas Episcopus proposuerit.

Caveant ne imparati accedant; sed praevio studio, tum ad solvendas difficultates, tum ad argumenta penitus expendenda, se reddant aptiores.

Quaestiones praesignatae non contentionis animo discutiantur, sed potius pacis et veritatis amore; et unusquisque prae oculis habeat, non quod singulari suo ingenio placuerit, sed Ecclesiae doctrinam et Doctorum sententias.

In collationibus omnia gravitatem, pietatem modestiamque redoleant. Huiusmodi coetuum occasione utantur presbyteri ad consensionem in doctrina et praxi fovendam, fraternam charitatem augendam, abusus e parochiis evellendos, exemplaque virtutis sacerdotalis fidelibus exhibenda.

Frugali mensa contenti, a ludis inter se exercendis, sive in conventus loco, sive in alio omnino abstineant.

Praeter praesidem, cuius officium est ad collationem eos convocare, qui adesse debent, et eis praeesse, instituatur specialis secretarius cum muniis ab Episcopo determinandis. Collationis autem acta ad Episcopum scripto referantur, qui quotannis, in quantum fieri poterit, clero indicabit quid in eis approbandum, quid vero corrigendum videbitur.

TITULUS VIII

DE IUVENTUTE ERUDIENDA

DECRETUM I

DE UNIVERSITATE LAVALLENSI

Inter ea quae vel maxime pertinent ad bonum Ecclesiae societatisque, tum domesticae, tum civilis, nobilem sane locum obtinet Catholica studiorum Universitas, in qua ita liberalibus disciplinis iuvenes erudiantur, ut in discrimem eorum fides et mores non veniant.

Quapropter de religione ac patria quam optime meruerunt eximii illi sacerdotes ex Quebecensi Seminario, qui florentissimam Universitatem Lavallensem erigendam curarunt. Eam porro, uberrimis fecundam fructibus, summa cura Apostolica Sedes prosequuta est, optimis saepius datis legibus, quibus in totius regionis commodum illa Universitas constitueretur et perficeretur.

Constitutione autem Apostolica *Iamdudum*, die 2 februarii 1889 data, decretum est ut « quod Monte Regio est succursale Athenaeum », sit quasi sedes altera Universitatis Lavallensis, et praecipuae huius constitutionis aliorumque Romanorum

decretorum dispositiones a Gubernio Provinciae Quebecensis, approbante Summo Pontifice, vim legis civilis acceperunt.

Quare omnium huius Provinciae catholicorum voluntates eo conspirare debent, ut eiusdem Universitatis Marianopolitana sedes magnis auctibus crescat. Dissidia igitur, cuiuscumque naturae sint, summa cura praecaveantur, omnesque eo unanimi consensu tendant, ut, ad normam decretorum Romanorum Pontificum atque Episcoporum ductu, ea quae ad Universitatis regimen spectant provide dirigantur. Heic autem revocare iuvat quae ad rem edicebat S. P. Leo XIII : « Imprimis « persuasum nobis est Catholicos Canadenses, semotis dissen« sionibus, viribusque collatis, constantem daturos operam ut « insigne hoc Athenaeum quam maxime diuturnum permaneat, « rebusque in dies magis prosperis ac secundis utatur ».

Quum autem, munificentia potissimum presbyterorum a S Sulpitio, magnificae pro hoc Athenaeo aedes moliantur, humanorum literarum atque ingenuarum artium nobile domicilium, vehementer nos hortamur catholicos ut ad tam eximii operis sumptus generosa liberalitate concurrant, stipe ad id collecta in omnibus parochialibus ecclesiis.

Speramus etiam non defuturos qui, ad exemplum piorum divitum in Gallia et in Statibus Americae foederatis, certos annuos reditus constituant pro variarum disciplinarum tum professoribus, tum egenis alumnis, pecuniamque conferant ad Bibliothecas et Musaeum extruenda, doctrinae in Universitate tradendae perutile complementum.

Parentes autem catholicos enixe obsecramus, ne sinant suos liberos, qui ingenuis artibus dare operam cupiunt, alias freequentare Universitates, praeter catholicam, in qua profanas scientias, incolumi fide, adipiscantur.

Professores autem obversent animo quam magni honoris ac momenti officium ipsis sit demandatum. Quare studiosissime lectiones mediteutur, omnique ope adnitantur ad sua ita explenda munera ut decus Universitati addant et profectum alumnorum promoveant. Conentur vero non mentem tantum, sed et mores discipulorum informare, tum per doctrinam christiano semper spiritu vivificatam, tum per exemplum intemeratae probitatis et studiosissimae erga leges ecclesiasticas observantiae. Discipulos denique Universitatis nostrae admonemus ut positam sibi exquisitioris institutionis adipiscendae opportunitatem alacri animo arripiant, scholas assidue celebrent, studiis diligenter vacent, religionem catholicam aperte profiteantur, eamque integerrimis moribus exornent. Inde fiet ut laudi sint suae Almae Matri, ipsique aliquando operam honestam et strenuam tum Ecclesiae, tum patriae, tribuere queant.

DECRETUM II

DE STUDIIS PHILOSOPHICIS

« Quo validius contendunt religionis hostes imperitis « hominibus, ac iuvenibus praesertim, ea discenda proponere « quae mentes obnubilent moresque corrumpant, eo alacrius « adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis « methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino « conformis in literis et disciplinis vigeat, praesertim autem in

« philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna « ex parte dependet » [1].

Completo igitur literarum curriculo, per duos annos, quicumque inter clericos adnumerari desiderat, philosophicis studiis incumbet. Studia philosophiae, theoreticae quam dicunt, et moralis, dubium non est,post tot et tam eximia SS. Pontificum de philosophia scholastica encomia, quin iuxta mentem eorum Doctorum, et nominatim Doctoris Angelici, debeant institui, adhibitis solidissimis eius principiis ad facta recentiorum investigatione deprehensa explicanda, atque ad modernos errores refutandos. Quo magis autem veram philosophiam hauserint, eo maiori profectu iuvenes clerici sacrae theologiae operam dabunt, ut deinde humanae divinaeque scientiae praesidio suffulti, veritatem efficacius tueantur, reddentes rationem omni petenti et *eos qui contradicunt* arguentes.

Satagant Episcopi ut in Collegiis, praesertim ecclesiasticis, linguae latinae suus honor et primatus servetur et amplietur, quae est propria sanctae matris nostrae Ecclesiae Romanae lingua.

DECRETUM III

DE INSTRUCTIONE RELIGIOSA IN COLLEGIIS AUT MINORIBUS SEMINARIIS TRADENDA

Quovis quidem tempore necessarium est doctrina christiana animos excoli ; sed verno adolescentiae tempore fructuosius

[1] Encycl. Lit. SS. P. Papae Leonis XIII, 21 apr. 1878.

divina illa semina animis iniiciuntur. Maxime proinde cavendum est ne id segnius vel leviter in quibusdam Collegiis aut scholis peragatur : praesertim quum pueri et adolescentes, qui in nostris scholis, Collegiis vel Minoribus Seminariis bonas artes addiscunt, ex christianis et bene moratis familiis provenientes, paratissimum, ut plurimum, animum ad religiosam institutionem gerunt. Nisi vero sanctissimae doctrinae panis parvulis saepius opportune frangatur ad eorum animos enutriendos, frustra sane speratur avitam fidem in pristino splendore apud nos permansuram.

Idcirco optamus quidem ut omnibus in collegiis et minoribus seminariis homiliae de Evangelio diebus dominicis festivisque pronuntientur, ac ut paulo solemniores conciones vividaeque exhortationes identidem habeantur.

Mandamus autem ut in iisdem scholis, Collegiis aut Academiis, iis solum exceptis quorum alumni parochiales catecheses frequentant, septimo quoque die aut eo saepius catecheses habeantur, quibus sanctissimae nostrae religionis doctrina plene proponatur, servato ordine Catechismi Romani.

Enixe demum suedemus ut in amplioribus scholis tres aut certe duae catechismi classes sint, pro parvulis pueris una, altera pro adolescentibus paulo grandioribus qui solidioris doctrinae clypeo contra saeculi pericula muniendi sunt.

———

DECRETUM IV

DE PUELLARUM IN DOMIBUS RELIGIOSIS EDUCATIONE

Magnopere commendamus conventuum nostrorum moderatricibus, ut imprimis educandarum puellarum animos ad veram sinceramque pietatem fingere studeant.

Quapropter frequentis communionis magna existimatio puellarum animis ingeratur, eisque libera facultas relinquatur eligendi diem, quo communicari velint, ut sponte sua accedere ad coelestem hanc mensam assuescant, et religiosos acquirant habitus ad vitae suae exitum permansuros. Ne tamen eis unquam taedio sit oratio, quod dehinc grave secum traheret incommodum, valde expedit a magistris spiritualia exercitia non longius produci, aut nimium multiplicari.

Obedientiam servare discant adolescentulae, quae eis maxime necessaria est, nam, ut S. Gregorius praeclare dicit : « Sola virtus est obedientiae quae virtutes ceteras menti inserit « insertasque custodit » [1]. Ideo sorores, animi firmitatem cum affectu materno iungentes, alumnas suas edoceant prompte amanterque regulis se subiicere, et moderatoribus, vices parentum gerentibus, dociliter obtemperare.

Quum puellarum vera laus sit simplicitate et modestia in vestitu, ornatu, sermone, totaque vitae ratione nitere, magni

[1] Mor., l. XXXV, cap. XVI.

quidem est momenti ut egregiam hanc virtutem animo hauriant, non ex verbis hortationis solum, sed ipsa consuetudine vitae, quam in Collegiis ducunt. Quapropter sorores sedulo curare debent, ut in conventus aulis (*salons*), collocutoriis, dormitoriis, etiam occasione festivitatum et solemnium visitationum (*réceptions*), supellex ceteraque eiusmodi omnino a luxu et immoderata pompa sint aliena.

Alumnae praelectionibus quae in scholis habentur sint assiduae; qua in re moderatrices et magistrae non sinant disciplinam relaxari, indulgentius agendo. In tradendis disciplinis apta methodo curetur ut puellae ea quae memoriae mandant, acie mentis penetrent, atque assuescant ad animi reflexionem adhibendam et ponderata iudicia ferenda.

Religionis cognitionem, dogmaticam et moralem, praesertim excoli volumus: doceatur etiam sedulo gallica et anglica lingua, purum dicendi genus patriaque historia; atque non parum commendamus ea, quae ad studium et artem domesticam pertinent, ut consuere, sarcire, cibum manu sua parare, aliaque eiusmodi quorum inscia mulier matris familias officia recte et integre implere non poterit.

Nobis in optatis esset puellas musicae arti in Collegiis vacantes numero minui, quum saepius hoc studii genus mera sit iactura temporis quidem pro eis, pecuniae vero pro parentibus.

In hac vero disciplina tradenda leve illud genus vanis illecebris scatens studiosissime vitetur, quo animi enervantur et ad profana oblectamenta alliciuntur.

Insuper diligenter attendant magistrae ad tuendam alumnarum valetudinem, ideoque nec salutaria corporis exercitia,

qua par est modestia, praetermittantur, nec hygienicae leges in auditoriis aliisque ad usum educandarum locis negligantur.

In praemiorum distributione, quibus ex laudabili recepto more ad studium et diligentiam alumnae excitantur, nonnisi meritorum cuiusque ratio habeatur, eaque adhibeantur praemia, quae ad utilitatem et aedificationem puellarum conferant, non quae vanitatem foveant.

DECRETUM V

DE SCHOLIS PUERORUM

Summus Pontifex Leo, Divina Providentia Papa XIII, in sua memorabili Encyclica *Nobilissima Gallorum Gens*, maximi Episcopis demandati officii memoriam renovat : « Providete, « inquit, ut nusquam scholae desint in quibus notitia bonorum « coelestium officiorumque erga Deum diligentissime alumni « imbuantur, et discant penitus Ecclesiam cognoscere eidemque « dicto esse audientes, usque adeo ut intelligant et sentiant « omnes labores, eius causa, patibiles putandos ».

Quid vero in hisce scholis magistri praecipue pueros docere debeant, haec Pii IX, f. m. verba clarissime indicant : « Omnes cuiusque e populo classis pueri, vel a teneris annis, « sanctissimae nostrae religionis mysteriis et praescriptionibus « sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem morumque honestatem, « et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate for-

« mandi, atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina « ita primarium in institutione et educatione locum habere et « dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi « imbuitur, adventitiae appareant. Quapropter iuventus maxi- « mis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis « institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo con- « societur. Quum igitur populares scholae ad populum « religiose formandum, eiusque pietatem et morum christianam « disciplinam fovendam, sint praesertim statutae, idcirco « omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem et vigilantiam, prae « ceteris, educationis institutis sibi merito et optimo iure semper « vindicarunt » [1].

Nemo exhinc non intelliget hanc puerorum instructionem inter Episcoporum officia esse ponendam, et scholas de quibus agitur, tam in urbibus quam in exiguis pagis, inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Non minori claritate fulget parentum officium spiritualem educationem suis procurandi filiis, qui in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendere debent. « Omnino parentes bonos, « ait Leo XIII, curare oportet ut sui cuiusque liberi, quum « primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et « ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem « offendat. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, « divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per « ullam causam solvi ea lege possunt » [2].

Ex his maximi momenti principiis, sequentes deducuntur regulae quas in posterum omnes prae oculis habebunt.

[1] Encyc. *Quum non sine*, 14 iulii 1864.

[2] Encyc. *Nobilissima Gallorum Gens.*

Elementares scholae, quum sint primae generatimque urgentioris necessitatis, non solum ruri sed etiam in urbibus, quarum plurimi cives quotidiano manuum labore victitant, maximam sibi curam vindicant.

Parochi, memores sanctae suae vocationis, qua eos elegit Deus ad Evangelio collaborandum, semper prae oculis habeant curam teneriori aetati et adolescentiae christianis moribus informandae impendendam, inter praecipuas pastoralis sollicitudinis partes recenseri. Scholas in sua parochia disseminatas saepe visitent, magistrorum puerorumque animos verbis confirment in quibus prudentia simul et charitas eniteant, omnes foveant exhortationibus quae e paterno corde manantes prosperos gignant exitus.

Insuper ad scholas acatholicas erigendas pecunia adiumento esse non possunt catholici, nisi lege omnino ad id compellantur.

Quando catholici parentes aliqua in parochia ita numero praestant ut propriis opibus scholam catholicam erigere et sustentare possint, ad id ex officio pietatis omnino tenentur, etiamsi aliquid amplius solvere teneantur quam pro scholis acatholicis.

Etiamsi proprietarius catholicus nullam prolem erudiendam scholis committendam habeat una cum aliis catholicis, ad scholam catholicam extruendam et sustentandam pro viribus operam suam conferre religionis officio obligatur.

Commissarii, quemadmodum et parentes, quam maxime conari debent ut in scholis ipsorum curae commissis diligenter et accurate tradatur catechistica instructio a praeceptoribus parentum vices gerentibus. Ecclesiae eiusque pastoribus et ministris spontaneam ex animo cooperationem et obedientiam

praestare tenentur,ut optati fructus, qui a scholis vere catholicis naturaliter producuntur, facile et perfecte haberi possint.

Et quoniam scholarum progressus maxima ex parte ex magistrorum idoneitate dependet, maximam adhibeant curam ut nonnisi boni et idonei praeceptores eis praeficiantur. Non instituantur nec dimittantur a commissariis magistri vel magistrae, nisi de parochi consilio, qui plerumque hac in re optimus erit iudex.

Concordia parochos inter et commissarios existente, seligentur institutores qui verbo et exemplo adolescentes erudient in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei et in omnibus ad salutem necessariis. Hi discipuli, sanis imbuti principiis, certius fideles Ecclesiae catholicae filii, non minus ac boni cives, per totam suam vitam evadent.

DECRETUM VI

DE DOMESTICA PUERORUM EDUCATIONE

Quum e christiana educatione, tanquam ex uberrimo fonte, innumera scaturiant bona in societatem tum civilem tum religiosam, nullumque sit efficacius medium procurandi terrestrem coelestemque puerorum felicitatem, haec Synodus vehementer hortatur presbyteros ut quam frequentissime doceant parentes eorum in materia tam gravi officia.

Itaque, eos pari cura removentes a nimia severitate, iuxta

praeceptum Apostoli : *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros* [1], et a dissoluta indulgentia, quae olim irracundiam Dei accendit contra Heli [2], indefessa cura parentes commoneant eorum propria officia esse ac munera :

Pueros non solum verbo, sed praesertim exemplo, docere ea quae referuntur ad Deum, ipsumque Trinum et Unum creatorem et redemptorem, Dominum, benefactorem, iudicem et finem ultimum, ut illum venerentur et ament, ei serviant, illum semper et ubique praesentem timeant et ad eum anhelent ;

Curare ut catechismo fideliter intersint et scholas catholicas assidue frequentent, etiamsi pecuniam pro suis facultatibus ad hoc erogare debeant :

Eos semper vigilanti oculo, quod saepius misere negligitur, sequi ;

Eos a defectibus et vitiis efficaciter arcere, et non tantum verbis,sed etiam et praesertimexemplis, ad christianas civilesque virtutes promovere.

Meminerint praecones verbi divini et confessarii, ut infrenatae libertatis sensibus pro viribus obstent, sibi praesertim insistendum esse in ius et officium parentum ad exigendam a pueris strictam obedientiam in omnibus quae legi Dei et Ecclesiae non adversantur.

---

[1] Coloss., III, 21.

[2] I Reg., II, III, IV.

DECRETUM VII

DE SURDO-MUTIS

Cum inter gregis Christi oves illae quae maiore laborant infirmitate, peculiari caritate sint prosequendae, enixe animarum pastores deprecamur ut surdo-mutos in suis parochiis existentes ad aliquam ex catholicis institutionibus in eorum gratiam erectis, si quo modo possibile est, mitti curent, et ut pecuniam ad sumptus necessarios, parentes pro suis facultatibus erogent, adhortentur.

Parochi autem semper tantum facere tenentur quantum possunt ut infelices illi surdo-muti ad sacramenta recipienda, in quantum possibile est, praeparentur.

Selectissimas Domini benedictiones super illas institutiones in surdo-mutorum gratia erectas vel erigendas, ex animo deposcimus.

Non possumus autem non laudare clericos qui, zelo ducti, sponte discunt signa quorum ope surdo-mutos intelligere et ab eis rursum intelligi possunt.

DECRETUM VIII

DE SCHOLIS MIXTIS

In Concilio Provinciali I Queb. [1], decretum sapientissimum de *scholis mixtis* latum fuit sequentibus verbis :

« Scholas *mixtas*, in quibus scilicet pueri fidelium simul « cum acatholicorum pueris promiscue admissi, nullam vel « falsam religionem edocentur, utpote natas ad hanc impietatis « luem, quae vulgo *indifferentismus* nuncupatur, procreandam, « omnino periculosas iudicamus. Quapropter pastoribus anima- « rum enixe commendamus ut fideles, quorum cura sibi « committitur, ab istis gymnasiis omni conatu avocent. « Quod si in quibusdam locis, scholis catholicis deficientibus, « *mixtas* scholas pueri adire cogantur, invigilent pastores « eorum atque parentes ne, erroris venenum sensim ebibentes, « fidei innocentiaeque iacturam patiantur. Nobis vero nihil « non emoliendum erit ut catholici, iura sua retinentes, scholis « sibi propriis, sicut et collegiis universitatibusque, in tota « nostra provincia fruantur ».

Quum autem parentes non pauci tam gravibus monitis minime obtemperantes, saepius propter rationes vel levissimas, liberos suos acatholicas scholas adire permittant, animarum pastores et confessarios admonemus istiusmodi parentes absolvi

[1] Decr. XVIII.

non posse, qui semel moniti eamdem tenent agendi rationem. Prohibemus enim ne quis liberos suos ad tales scholas mittat. Si tamen, propter aliquam locorum aut temporum circumstantiam, hoc videatur necessarium, et constet nullum esse perversionis periculum, omnino requiritur Episcopi licentia.

DECRETUM IX

DE SILVICOLIS EDUCANDIS

Maiores nostri, quum primum in has oras ex Europa commigrarunt, nihil antiquius habuerunt, quam ut Evangelii luce silvicolarum corda et mentes illuminarentur : pulcherrimumque nobis apostolicae virtutis exemplum priores illi missionarii reliquerunt, qui, patria relicta, non itinerum difficultate, non insueti coeli inclementia, non omnigenis periculis deterriti, asperrimos magno animo tulere labores, et sanguinem saepe cum vita fuderunt ut gentes sub potestate diaboli gementes Christo lucrifacerent. Quin etiam eorum zelum aemulatae insignes nobilitate et pietate puellae, sese erudiendis silvicolarum liberis devovere non dubitarunt. Quam uberes exinde pietatis ac religionis fructus promanarint, Ecclesiae nostrae annales testantur. Honoris causa commemorare hic iuvat celeberrimi viri Karakontie ingenuam fidem, nec non fortitudinem intemeratamque pudicitiam Virginis Tekakuithae, quam etiamnunc in pietatis exemplum iroquenses matronae ac puellae suspiciunt.

Attamen non paucis abhinc annis tardior apud nostros silvicolas factus religionis progressus, infirmior fides, et, proh dolor ! non raro ad haeresim lugenda perversio, opera etiam scholarum, in quas multis modis inducuntur parentes ut suos mittant liberos ab acatholicis magistris, summo cum fidei discrimine, educandos. Quae rerum dolenda conditio nos movet ut eorum spiritualibus praesertim necessitatibus occurrere pro viribus adnitamur. Quum autem in scholis diurnis, quae hactenus solae silvicolis catholice instituendis in nostra Provincia adsunt, non satis a parentum consortio subtracti adolescentes aegre admodum christianam morum disciplinam suscipiant ; necessarium ducimus quam primum scholas seu Convictus institui, in quibus praesertim orphani, omnino a suis seiuncti, una cum primariis literis et artibus religionem penitus edoceantur ; atque ut hoc charitatis et religionis opus, pro sua quique facultate, totius Provinciae fideles adiuvent, enixe hortamur.

TITULUS IX

DE VERITATE CATHOLICA PROPUGNANDA ET SERVANDA

DECRETUM I

DE NONNULLIS FIDEI PERICULIS VITANDIS

Ad omne subversionis periculum avertendum, hortamur catholicos laicos, qui communicare debent pro vita civili cum haereticis toleratis, ne cum acatholicis de rebus ad religionem pertinentibus temere agant.

Cavendum ne ex familiari haereticorum consuetudine, aliquid capiant detrimenti spiritualis, nec ii qui heterodoxis famulantur, precibus acatholicis a suis heris aut aliis recitari solitis assistant, aut alias in re fidei detrimentum patiantur. Nisi igitur famuli praedicti ius retineant libere religionem catholicam exercendi, et omnia peragendi quae a sancta Ecclesia praescribuntur, servitium dimittant, quod sine periculo aut conscientiae laesione retinere non possunt.

Omnino prohibentur catholici assistere baptismo, matrimonio, coenae, caeterisque ritibus aut concionibus haereticis,

eo modo quo cum acatholicis convenire videantur, hoc enim agere nihil aliud est quam in sacris communicare. « Si quando necessitas cogat catholicos ad acatholicorum funera comitanda, sedulo advertendum est id solum licere quotiescumque agatur de praesentia materiali praestanda civilis Officii causa, a qua eximi nequeant catholici sine gravi damno vel periculo, et dummodo nullo modo communicent in eorum ritibus ac sacris caeremoniis quibuscumque »[1].

Et non sine magno scandalo catholici assistere viderentur exequiis mere civilibus.

Praeterea haereticorum libros de religione tractantes legere aut apud se retinere non licet.

Sciant insuper fideles excommunicationem latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatam, incurri ab omnibus et singulis scienter legentibus sine auctoritate Sedis Apostolicae libros Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, eosdemque libros retinentibus, imprimentibus et quomodolibet defendentibus[2].

DECRETUM II

DE LIBRIS EPHEMERIDIBUSQUE IMPROBIS

Inter scandala huius saeculi perversi nullum sane magis pertimescendum, magisque execrandum est, quam scandalum ex impiis et obscenis libris procreatum.

[1] S. D. ad Archiep. Corcyrensem, 1881.
[2] Const. Pii IX, *Apostolicae Sedis*.

Hinc profecto Nobis, qui ad depositum fidei custodiendum constituti sumus, intelligere datur quanta sollicitudine, quantoque studio laborare debeamus ad praemuniendos fideles nobis commissos, contra tantum scandalum, tamque eminens periculum salutis.

Itaque omnes parochos, concionatores, confessarios, aliosque Dei ministros admonemus in Domino ut totis viribus huic horrendo torrenti iniquitatis sese opponant ut, quantum in ipsis est, pereuntes misere animas e faucibus perditionis eripiant.

Ad hoc autem :

1. firmiter teneant, constanterque praedicent, veritatem esse a dogmatis fonte profectam, quod Ecclesia, et principaliter Summus Pontifex, utpote Christi vicarius et divi Petri successor, iurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi fidelibus lectionem librorum sive de Religione impie tractantium, sive contra bonos mores, sive contra Ecclesiae disciplinam, aut contra bonum societatis humanae aliquid continentium. Ut enim his utamur verbis Pontificis Maximi Gregorii XVI, in sua Encycl. *Mirari vos*, « patet luculentissime quantopere falsa, « temeraria atque Apostolicae Sedi iniuriosa, ac foecunda « malorum in Christiano populo ingentium sit illorum doctrina, « qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et « onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, « ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque « illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare ».

2. Sedulo edoceant fideles sibi commissos, legem Indicis prohibentem lectionem quorumdam librorum, utpote legem generalem ab Ecclesia vel ab ipso Summo Pontifice latam,

obligare omnes ubique Christianos, et quidem per se et sub gravi ; nam de re gravi agitur :

3. Decreta Generalia de prohibitione et censura librorum, quae per Constitutionem Apostolicam « *Officiorum ac munerum* » SSmus D. N. Leo PP. XIII promulgavit, sancte ab omnibus christifidelibus esse servanda.

4. Eos qui libros iisdem Decretis prohibitos, vel in Indice prohibitorum librorum appositos legunt, non modo peccare contra legem ecclesiasticam. sed quandoque etiam contra legem naturalem ;

5. Nemini licere huiusmodi libros typis committere, indiscriminatim vendere, dare, aut commodare, et nedum legere, nec quidem eos emere sibi, nec oblatos accipere, nec retinere sine peculiari venia ;

6. Inter libros prohibitos recensendas esse omnes Bibliorum versiones ab haereticis factas, aut editas, necnon et versiones omnes in vernacula lingua, etiam a viris catholicis confectas, nisi eae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, et cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

Haec quidem pastores animarum oves suas edoceant de libris perversis et prohibitis, seduloque invigilent ne ullo modo circumferantur in paroeciis suis, atque si quos invenerint, curent ut, iuxta Pii IV Constitutionem *Domini gregis*, quamprimum ad Episcopum referantur.

Si quos autem repererint homines in hac materia rebelles, qui suis admonitionibus exhortationibusque parere recusent, pertinaciterque velint praefatos libros legere aut retinere sine

licentia, vel non obstante periculo propriae vel suorum perversionis, eos tanquam prorsus indignos sacrae communionis habeant, ipsisque absolutionem denegent.

De cetero, ne fideles decipiantur circa libros quos habere aut legere possunt, diligenter admoneantur ut pastores aut confessarios suos consulant, eorumque mandatis obsequantur in iis quae dictos libros respiciunt.

Confessarii autem intelligant opus esse magna prudentia in re tam gravi tamque periculosa, et Episcopi directionem sedulo inquirant.

Meminerint quod ad Episcopos etiam spectat prohibere lectionem pravorum librorum, et quidem sub poena censurae subeundae : nec quisquam dubitet de hac potestate Episcoporum, quam ipsis in memoriam revocavit Leo XII, die 26 martii 1825, et recentius confirmavit Pius IX, die 24 augusti 1864, et SS. D. N. Leo PP. XIII, in Const. *Officiorum*.

Quo vero ad Ephemerides improbas (*les mauvais journaux*), deploranda experientia omnibus constat quod non minora mala ex ipsis quam ex reprobis libris afferuntur religioni, Ecclesiae, moribus et humanae societati : imo maiora, si quidem facilius latiusque ubique circumferuntur, et veluti mortifera quaedam pestilentia orbem universum quotidie percurrunt. Nec minori ergo zelo pastores animarum sese opponant horribili huic scandalo perversarum ephemeridum, nec minori cura satagant ut oves suas arceant a venenatis illis foliis, invigilentque ne quaedam ex illis recipiantur ac legantur in paroeciis suis.

Diaria autem, folia et libelli periodici, quae religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripta habeantur [1].

---

[1] Const. *Officiorum et munerum.*

Quod autem attinet ad rationem agendi cum illis qui perversas Ephemerides recipere ac legere intendunt, ea servetur quam supra statuimus servandam erga eos qui prohibitos libros legere aut retinere non verentur.

Procul dubio, inter reprobos reprobandosque libros adnumerari plerumque debent libri quos vocant *Romanenses (les romans)*.

Porro inter romanenses alii sunt impii, alii ex professo obsceni, alii vero tantum amatorii.

Quoad primos, id est, impios et obscenos, profecto ex utroque iure naturali et ecclesiastico prohibiti sunt; proindeque cum illis qui huiusmodi libros non sine magno animae suae detrimento legunt aut retinent, agendum est modo superius praescripto erga eos qui libros Indice prohibitos scienter et pertinaciter legunt aut retinent.

Ultimi vero amatorii romanenses grave damnum quandoque legentibus, maxime iuvenibus, afferunt; in ipsis enim ut plurimum latet quoddam venenum quod, quanto minus patet, tanto magis nocet. Omnes igitur animarum pastores omni ope atque opera excitantur ut oves suas, praesertim autem iuvenes, avertant a lectione istorum librorum vere venenatorum.

Moneant quoque parentes de gravi qua ligantur obligatione in filios, ut nullo modo illis permittant legere aut retinere libros quibus fidei moribusve pericula afferentur. Quod si non possunt ipsi de natura aut qualitate librorum indicare, pastores aut saltem viros prudentes religiososque consulant.

Ut autem pastores facilius simulque efficacius arceant oves suas tum a libris reprobis atque prohibitis, tum a perversis ephemeridibus, satagant ut bonos libros ipsis suppeditent, nec omittant eos quibus Ephemerides legere in desiderio est,

inducere ad subscribendum alicui ephemeridi sanis principiis deditae vereque catholicae.

Quapropter unusquisque animarum pastor totis viribus conniti debet ut habeat in sua paroecia bibliothecam bonorum librorum ad usum parochianorum suorum, atque ad hoc eos omnes instantissime hortamur in Domino.

DECRETUM III

DE SCRIPTORIBUS CATHOLICIS

Patres Concilii debitas ex animo solvere cupiunt gratulationes scriptoribus catholicis qui suis in scriptis prae oculis habent rectas regulas in quinto Quebecensis Provinciae Concilio inclusas, nec non et consilia quae saepissime a SS. PP. Leone XIII scriptoribus data fuerunt.

Attamen opportunum ducunt in eorum mentes revocare omnes istas agendi rationes quas usu constat solas esse veras, solasque homines in rectam viam conducere posse ; ideoque lubet ante oculos iterum ponere gravissima verba quae hac in re a Patribus Concilii quinti [1] prolata fuerunt.

« Ut igitur scriptores de rebus religiosis pertractantes « finem a S. D. N. Pio Papa IX intentum attingant, opus est ;

« Ut ideo sese ad munus implendum studiis seriis praepa-

[1] Decr. XXII.

« rent, sintque iuxta Summi Pontificis vota, viri non solum « catholico spiritu animati, sed etiam sana doctrina praestantes « ac literis et disciplinis exculti ;

« Ut libenti animo monitis sui Episcopi obtemperent, eius « consilia sequantur, praesertim quando quaestiones arduas de « practicis inter Ecclesiam et societatem civilem relationibus, « ut in nostra regione habentur, pertractabunt ;

« Ut debitam moderationem, prudentiam, charitatem erga « adversarios, praesertim catholicos, ac congruentem *submis-* « *sionem* erga homines in potestate sive ecclesiastica sive civili « constitutos, necnon erga collegia seu gymnasia, seminaria et « academias sub directione episcopali constituta, sedulo « servent ;

« Ut a mutuis conviciis abstineant, et eos qui a sua « sententia alieni sunt, criminari et contumeliis afficere « vereantur ; cum haec fieri non possint absque magno fide « lium scandalo, sine christianae charitatis et pacis dispendio, « haereticorum vero contemptu qui, digladiantibus inter se « catholicis, plane triumphant. Ne igitur huiusmodi contentio- « nes per ephemerides et libellos a catholicis exerceantur, sed « potius omnes unitatem spiritus in vinculo pacis servare stu- « deant ».

Qui canones maxime consentanei sunt monitis quae iterum atque iterum Summus Pontifex Leo Papa XIII, tanta ingenii laude in regenda Ecclesia praeclarus, urbi et orbi protulit.

Sane in memorabili illa ad Archiepiscopum Parisiensem Card. Guibert epistola, loquens Pontifex de suprema concordiae lege quam sibi praefixam observare catholicos oporteat, ita prosequitur : « Quod quidem officium, si generatim ad omnes, « multo magis ad ephemeridum spectat auctores : qui nisi hoc

« animo affecti sint ad obtemperandum prompto et ad discipli-« nam docili, in catholicis singulis tantopere necessario, facile « illuc evasuri sunt ut mala, de quibus conquerimur, ipsimet « spargant atque adaugeant. In omnibus rebus quae religionem « actionemque Ecclesiae in societate attingant, illorum est non « secus ac ceterorum Christianorum, mente et voluntate « Episcopis suis Romanoque Pontifici prorsus subesse, horum « imperata facere et nuntiare, incoeptis toto pectore adhaeres-« cere et ut ceteri pareant curare ».

Eamdem tradit doctrinam Summus Pontifex in literis ad nobilissimam Gallorum Gentem missis : « Ad optatos fructus « maxime est conspiratio voluntatum et agendorum similitudo « necessaria. Profecto nihil magis inimici cupiunt quam ut « dissideant catholici inter se : hi vero nihil magis quam « dissidia fugiendum putent, memores divini verbi : *Omne « regnum in seipsum divisum desolabitur* [1].

« Quod si concordiae gratia, necesse est quemquam de sua « sententia iudicioque desistere, faciat non invitus, sperata utili-« tate communi. Qui scribendo dant operam, magnopere « studeant hanc in omnibus rebus animarum concordiam « conservare ; iidem praeterea quod in commune expedit « malint, quam quod sibi : communia coepta tueantur, disci-« plinae eorum, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere « Ecclesiam Dei* [2], libenti animo pareant, auctoritatemque « vereantur ; nec suscipiant quicquam praeter eorumdem « voluntatem, quos, quando pro religione dimicatur, sequi « necesse est tanquam duces ».

---

[1] Luc., XI, 17.

[2] Act., XX, 28.

Tum ex Encyclica *Immortale Dei* haec prudentissime dicta referimus :

« Defensio quidem catholici nominis nece sario postulat « ut, in profitendis doctrinis quae ab Ecclesia traduntur, una « sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte « cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, « aut mollius resistat quam veritas patiatur. De iis quae sunt « opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae « veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis « criminationibusque mutuis... Si quaeratur de rationibus mere « politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel « alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta « esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroquin pietas est, « animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere « paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, « sententiam, iustitia non patitur : multoque est maior iniuria, « si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non « semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud « praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare « literis, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de « rebus maximis (*contra naturalismum et rationalismum*) con« tentione, nihil est intestinis concertationibus, vel partium « studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiis« que id debent universi contendere, quod est commune « omnium propositum, religionem remque publicam conser« vare ».

Haec omnia prae oculis semper habeant catholici scriptores, et quam maxime caveant ne in posterum in suis scriptis proferant fallacia, detractiones, calumnias, iniuriosaque verba ; haec enim valde scandalosa et perniciosa sunt, tam moribus

publicis et privatis, quam toti societati sive civili sive ecclesiasticae. Scriptores, sicut et alii omnes qui res publicas verbis aut scriptis tractant, naturalis, divinae et humanae legis praecepta servare tenentur, vel etiam ea, ob propriam qua fruuntur auctoritatem, strictius colere debent.

DECRETUM IV

DE EXAMINE ET IMPRESSIONE LIBRORUM

Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui Divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam Naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. Viri e clero saeculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Iidem prohibentur quominus absque praevia Ordinariorum venia diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. Novae sacrae imagines, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur; libros pariter aut libellos precatorios, asceticos, mysticos, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legiti-

mae auctoritatis licentiam publicet ; secus prohibiti habeantur [1].

Optat quidem haec Marianopolitana Synodus ut in singulis dioecesibus quidam ecclesiastici, viri prudentiores et maturiores designentur, qui libris ephemeridibus et periodicis libellis qui pervulgantur invigilent, ut si quid in iis edatur quod fidei castisque moribus sit infensum, aut tranquillitati publicae adversum, statim ad Ordinarium deferant, ut ipse opportune provideat. Circa vero examen et proscriptionem librorum,opportunum ducimus consilia et regulas tradere quae fusiori modo data sunt a Benedicto XIV.

Exigit nempe Summus ille Pontifex :

a) ut de variis opinionibus atque sententiis absque partium studio et animo a praeiudiciis omnibus vacuo iudicetur, et Ecclesiae Sanctae dogmata et communem catholicorum doctrinam, quae conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus et orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant, siquidem non paucae sunt opiniones quae sine ullo fidei aut religionis detrimento, sciente ac permittente Apostolica Sede, ab aliis viris catholicis reiiciuntur, ab aliis defenduntur ;

b) Ut iudicium de aliquo scripto non feratur nisi omni ex parte prius legatur, nisi attente etiam considerentur consilium et institutum auctoris, necnon et propositiones ut in contextu habentur ;

c) Ut ambigua dicta quae auctori alioquin catholico

[1] Ex Const. *Officiorum ac munerum.*

exciderint, benigne, quantum licuerit, explicentur et in bonam partem accipiantur ;

d) Ut repudientur facetiae aut dicteria quae in perniciem aut praeiudicium famae et existimationis aliorum vergunt ; ut aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura nullus perstringat ; ut in defendendis opinionibus *adhibeatur disceptatio moderata et absit error opinantium se scire quod nesciunt* [1] ; ut nullus, sub praetextu zeli veritatis, suarum scriptionum mordacitatem excusare praesumat, siquidem habenda est aequa ratio charitatis evangelicae ac veritatis ;

e) Ut cohibeatur ea scriptorum licentia, qui *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est*, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant.

---

[1] Aug. in Enchir., cap. I, 59.

TITULUS X

DE DIVERSIS MALIS VITANDIS

DECRETUM I

DE SOCIETATIBUS VITANDIS

Nemo nescius est quanta mala tum longo iam tempore, tum nostra maxime aetate, nefastae societates hominum, quae secretae vulgo dicuntur, et religioni et civitati soleant inferre. Quapropter Romani Pontifices, quod suum erat officii munus, non destiterunt perniciosas sectas apostolico vigore condemnare. Nuper immortalis memoriae Leo PP. XIII egregiis Literis Encyclicis *Humanum genus* dilucide, aeque et graviter innovavit monita, praescripta et interdicta Decessorum suorum.

Ad mentem instructionis datae a Suprema Congregatione Sancti Officii, 10 maii 1884, tres numero discernuntur classes societatum vitandarum.

Prima classis continet societates seu sectas obnoxias non solum prohibitioni, sed etiam Papali censurae, nimirum excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici simpliciter

reservatae, quae innovatur et decernitur capite 2, numero 4 Constitutionis *Apostolicae Sedis*.

Secunda classis amplectitur societates seu sectas quae, quamvis excommunicationi obnoxiae non sint, sub gravis tamen culpae reatu certo vitandae sint.

Ad tertiam demum classem pertinebunt eae quae dubiae sint et periculis plenae.

In *prima classe* comprehenditur Massonica societas cum omnibus omnino ramis, ita ut huius societatis nullae sint sectae Europae, Americae aut alibi quae effugiant Apostolicam excommunicationem.

Huius classis propria nota est, ut sectae in ea inclusae « contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinentur, sive « id clam, sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis « asseclis secreti servandi iuramentum » [1].

Saepe quidem protegunt se, ut in honore sint apud vulgum, integumentis mutuae beneficentiae, quae tamen plerumque est momenti levioris, imo vana species et obtentus. Nam omnes sectae Massonicae eo revera fine coalescunt et mutuo foedere connectuntur, ut divinae religionis a Christo institutae fundamenta convellere nitantur.

Secundae classi praecipue annumerandae sunt sectae « omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et « omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam « iureiurando exigunt » [2].

Notatione dignum est manifestation secreti in confes-

[1] Const. *Apostolicae Sedis*; Instructio S. Off., 10 maii 1884.

[2] Instruct. S. Off., 10 maii 1884.

sione sacramentali tantum, irritam esse et inefficacem, sed ad forum externum, ad Episcopum Episcopive Vicarium, omnino deferendam esse.

Secundae huius classis societates, quibus certo saltem adnumerandi sunt socii qui dicuntur : *Odd Fellows*, *Equites Pythiae* et *Filii Temperantiae*, sub reatu culpae gravis vitandae sunt, licet excommunicatione immunes.

Quum tamen dubium est utrum aliqua societas Pontificiis Constitutionibus condemnetur, necne, expectanda est sententia Sedis Apostolicae, quae talis rei cognitionem sibi reservavit.

Tertia classis comprehendit societates ad quas operarii maxime se adiungunt, et « quae licet certo statui nequeat « pertineant necne ad has quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt » [1].

Haec autem sunt quae imprimis societates dubias aut periculosas efficiunt :

Doctrinae quas profitentur, ut si admittant indifferentiam cultus divini, si negent se uti religione, et affectent excutere iugum auctoritatis ecclesiasticae.

Vitae consuetudo principum factionis, et eorumdem commercium et collusio cum sectae massonicae coryphaeis.

Quo favore prosequantur indigna aut iniqua facinora, exempli causa, iniustas conspirationes operariorum cessantium a labore et alios cessare vi cogentium ; iniurias quibus derogatur iuri patronorum et eorum qui utuntur aliena opera ; illicita pacta ad opprimendam libertatem non consentientium.

[1] Instruct. S. Off., 10 maii 1884.

Opportunitas in iisdem societatibus oblata se dedendi impune saevitiis, discordiis, impietati, omnibus malis artibus.

Ipsum iuratum secretum, etiam quando non vetitum est quin patefiat Episcopo, contra societatem aliquam vehementem generat praesumptionem.

Universim quoties aliqua huius tertiae classis societas periculum proximum affert impietatis, iniustitiae, flagitiorum aut seditionis, graviter illicita est et vitanda sub reatu culpae mortalis.

Ex his intelligitur quanta vi pugnandum sit in sectas, nostrae aetatis pestem et perniciem.

Quare Supremus Pontifex pro ea, qua summa est sapientia, nonnulla proponit perniciosis eiusmodi vulneribus medendis opportune adhibenda remedia, quae sacerdotes animabus suae curae traditis summo studio magnaque prudentia admovere volumus.

Primum ergo remedium est ut fideles bene doceantur discrimen, quod ipsis ex talibus societatibus impendere potest. Quapropter monemus parochos, concionatores, rectores iuventutis, moderatores conscientiarum, ut sermonibus aperiant et proferant in lucem quo veneno infectae sint sectae prohibitae, maxime vero Massonicae. Etiam atque etiam urgemus ut falsas earumdem sectarum doctrinas evertant, et ut Encyclicas Literas *Humanum genus* ad mentem Sanctitatis Suae diligentissime enarrent et interpretentur.

Secundum porro remedium est ut pueri apta educatione contra huiusmodi pericula praemuniantur. Formandus autem est animus pueri domi, in schola, in ecclesia parochiali. A teneris annis imbuendus est tum reverentia et amore in fidem catholicam et Ecclesiam, tum salutari odio erga sectas masso-

nicas. Excitanda in eo est conscientia dignitatis humanae, quam dedecet ut vir ingenuus, divino pretio restitutus in libertatem, iugo principum factionis collum submittat. Haec teneris et rudibus animis impressa, iuvenili aetate, altius insident in praesidium maturioris aetatis.

Tertium remedium est ut bonae malis societatibus opponantur; quare *artifices* et *operarii* « iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates « honestas ne pertrahantur ad turpes » [1]. « Ponant sibi ante oculos « sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrorum, vel artifi- « cum universitates aut sodalitates quae adscito sibi Patrono « anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus orna- « mento et artibus sive politioribus sive humilioribus incre- « mento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui « mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis sese dedide- « runt iterum excitabunt », quorum asseclae et « in humanis « necessitatibus... mutuo sibi sint auxilio... Nec detrectabunt « iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges pro- « ponere, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare » [2].

Honestae catholicorum societates, atque eae maxime quae religionis excolendae causa rite coalescunt, debito in honore habeantur; ac meminerint parochi nonnisi societates auctoritati Ecclesiae omnimodo subiectas, admitti posse cum signis in Ecclesiam, iuxta declarationes Sacrorum Rituum Congregationis, 14 iulii 1887, et Supremae S. Romanae et Universalis Inquisitionis Congregationis, 3 septembris 1887 [3].

[1] Encycl. *Humanum genus.*

[2] Vide in App. Instr. S. Off., 10 maii 1884.

[3] Vide in App.

Summopere vero commendamus Societatem illam de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam, quae a Vincentio Patre nominatur. Cognitum est enim quid agat, quid velit, scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili ; quae quo minus videri vult, eo est ad charitatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior [1].

DECRETUM II

DE PERICULIS MORUM

Quoniam experientia nunquam satis lugenda constat quam multis hodie blandimentis irretire fideles, praesertim iuniores, et quidem utriusque sexus, tentet inimicus, haec Synodus opportunum duxit quaedam statuere, ut mores, ubi sunt illibati, facilius serventur, ut efficacius corrigantur, ubi corrupti.

Curent quam maxime pastores, concionatores ac confessarii omnes, retrahere fideles non solum a lascivis choreis, sed etiam ab immodestis et periculosis, quae potissima incitamenta sunt ad luxuriae peccata.

Nec minus, imo maius periculum bonis moribus afferunt illa colloquia amatoria, praesertim secreta, diurna aut nocturna, quae habentur inter duos utriusque sexus iuvenes ; item perambulationes eorumdem iuvenum utriusque sexus, parentibus non praesentibus. Contra istas per se proximas peccati

---

[1] Encycl. *Humanum genus.*

luxuriae occasiones, contra istam diabolicam [illegible] qua castitas, modestia, timor peccati pessumdantur, invehantur concionatores, et a confessariis, praesertim in sacro tribunali poenitentiae, applicentur remedia quibus omnino et penitus destruatur et pereat a coetu Christi fidelium illud malum immane. Sciant etiam parentes se peccare, si filiis et filiabus sub ipsorum potestate constitutis non occludant omnia, quantum possunt, media omnesque occasiones pessimis illis colloquiis et perambulationibus vacandi.

In hanc provinciam veniunt homines qui periculosas et nimis frequenter omnino damnandas scenas exhibent in theatris.

Nullus, qui vitam aeternam assequi cupit, potest tales repraesentationes frequentare. Has imprudentes animas describit Spiritus Sanctus *velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animae illius agitur* [1].

Abstineant igitur fideles omnes a fovendo tales scenicos ludos; pastores et confessarii omnino eos, qui eorum potestati subiacent, deterreant a talibus spectaculis frequentandis, quae sunt occasio proxima peccati.

Idem dicendum de circensibus ludis, in quibus equitum vita exponitur, vel christianae modestiae leges vestibus aut positionibus ioculatorum offenduntur.

Alia respuenda sunt oblectamenta quae, licet minus directe noxia, non parum tamen peccandi occasionem et pericula adducunt. Imprimis tollantur domestica theatra (vulgo nuncupata *théâtres de société*), quibus periculosa familiaritas inter utrumque sexum paritur, vitia nutriuntur, infuscaturque, praesertim in puellis, candidum illud lilium castitatis, potissi-

[1] Prov., VII, 23.

mum earum ornamentum, quod, teste Paulo, in vasis fictilibus circumferunt.

Hinc etiam crescentem quotannis exitialem licentiam cohibeant parentes, qua, hiemali tempore, recreationis causa, iuniores puellae, sexus sui immemores, pudore contempto, vestituque muliebri in virilem fere penitus immutato, sive diuturnas deambulationes indiano more super nivem una cum iuvenibus peragunt (*promenades en raquettes*), sive, quod peius est, promiscue cum eis corticea traha iacentes, se praecipiti lapsu per nivalia declivia abripi laetantur (*glissades*). Pensent istae grave Spiritus Sancti monitum : *Qui amat periculum, in illo peribit* [1]. Advertant Paulum hortantem : *Ab omni specie mala abstinete vos ;* [2] *ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae :* [3] et discant formidandum Domini vetitum : *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea ; abominabilis enim omnis apud Deum est qui facit haec* [4].

Quicumque autem domui suae bene praepositi, in pace et dilectione familiam moderantes, cum uxore et filiis domestica gaudia experiri cupiunt, maxime caveant a *Circulis virorum* (*clubs*), in quibus hic pater, illic filiifamilias, domo deserta, ad intempestam noctem producunt, aleae res suas commitunt, liberiores cum sociis sermones miscent, ephemeridum quarumcumque lectioni vacant, colloquia fidei moribusque adversa audiunt, ruinam sibi reique domesticae parantes.

[1] Eccli., III, 27.
[2] I Thess., V, 22.
[3] Philipp., II, 15.
[4] Deut., XXII, 5.

Diebus dominicis et festivis de praecepto abstineant fideles ab illis *excursionibus iucunditatis*, quarum pericula peccati tam numerosa et imminentia sunt. Eas frequentare non permittant suis liberis parentes, nec pupillis tutores, nec famulis, et praesertim famulabus, domini. *Qui amat periculum, in illo peribit* [1]. Filiorum et pupillorum et famulorum *sanguinem de manu tua requiram*, ait Dominus [2]. *Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum* [3].

DECRETUM III

DE LUXU

Cum sit luxus inordinatum pecuniae impendium, quod ex vana ostentatione suam trahit originem, et etiam in usum venit iis qui, pro suis modicis opibus, vix honestae vitae subvenire possint, innumerabilium iniustitiarum est fons et principium.

Familias ipsas labefacit luxus et ad lugendam ruinam provocat. Tum enim patresfamilias bona sua et fortunam effundunt, aes alienum imprudenter contrahunt, et Apostoli monitum obliviscentes ; *Nec enim debent filii parentibus thesau-*

---

[1] Eccli., III, 27.

[2] Ezech., III, 18.

[3] Amos, VIII, 10.

rizare, sed parentes filiis [1], ita quidem suam agunt rem familiarem, ut omnino impares fiant suis liberis convenienter educandis et in apta conditione locandis.

Creditorum etiam iura saepissime offendit luxus; multi enim huiusce nefaria ostentationis cupidine abrepti, tot et tanta contrahunt debita ut, paucis elapsis annis, non iam queant sese aere alieno liberare.

Ad hanc etiam eamdem causam referenda est illa deploranda calamitas, quod nostri iuvenes, et quandoque integrae familiae, suam patriam relinquant, et cum suarum animarum periculo in vicinas regiones emigrent. Non minus opponitur luxus sanctissimae charitatis virtuti. Quicumque enim sibimetipsis pauperes sublevandi facultatem vanis ac perniciosis sumptibus eripiunt, sane contra charitatem peccant.

Iamvero neminem latet nostram aetatem de insano vestimentorum luxu iustissime reprehendi. Vesana est aemulatio qua homines tum eiusdem, tum diversae conditionis, vestimentorum ornatu se mutuo assequi aut antecellere conantur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis iam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus huius inordinati luxus perquam dolendi sunt; nam animus taliter fascinatus officia altiora, et ipsum denique vitae praesentis finem negligit: cum media honesta ad tot expensas haud sufficiant, tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides coniugalis venales fiunt, omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur.

Quum igitur plebi nobis commissae fons spiritualis temporalisque ruinae fiat luxus, omnes animarum pastores admone-

[1] II Cor., XII, 14.

mus et hortamur in Christo ut totis suis viribus conentur hunc luctuosum abusum oppugnare et emendare :

1. Exemplo proprio, maxime in domo aedificanda et instruenda, necnon in mensa et vestitu, in rhedis et equis, clericalis modestiae regulas semper et in omnibus accurate observantes ;

2. Piarum mulierum puellarumque confraternitatum institutione, cum Episcopi licentia, ad modestiam in vestibus fovendam ;

3. Magis ac magis etiam in suis concionibus, necnon in sacro Poenitentiae tribunali hac in re commorentur pastores, et oves sibi creditas bonorum operum, et praesertim eleemosynae, obligationem edoceant ; iterum atque iterum eis repetant eleemosynam non esse merum consilium, nec quemdam sublimiorem perfectionis gradum vel apicem, sed affirmare nunquam cessent bona opera et eleemosynam esse verum et necessarium officium, et innumera hac de re Scripturarum loca eis in memoriam revocent : *Ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi* [1]. — *Propter mandatum assume Pauperem, et propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum* [2]. — *Vestra abundantia inopiam illorum suppleat* [3].

---

[1] Deut., xv, 11.

[2] Eccli., xxix, 12.

[3] II Cor., viii, 14.

DECRETUM IV

DE MODIS PROHIBITIS PECUNIAS AD PIAS CAUSAS COLLIGENDI

Iam Concilium Provinciale IV Quebecense [1] opportunum duxerat prohibere ne susciperentur « ad pios fines quaedam « media, ex quibus facile oritur peccatorum occasio, v. g. con- « centus musicales, excursiones, venditio rerum sponte obla- « tarum (*bazars*) etc., etc., nisi prius obtenta Episcopi licentia, « acceptisque salutaribus ipsius monitis ».

Ad omnem vero aditum abusibus praecludendum, renovantes et confirmantes praefatum Concilii IV decretum, insuper statuimus prorsus requiri ut antequam ulla concentus, excursionis, nundinarum (*bazars*), et convivii aut aliorum huiusmodi in pios fines apparatio fiat, Episcopi licentia scripto obtineatur, eaque ab ipso parocho aut sacerdote, ad quem res spectat, scripto quoque petatur.

« Nulli vero Episcopo liceat veniam habendi praedictos « conventus sive nundinas concedere, nisi praevio diligenti « examine moraliter certus sit nulla adesse proxima peccati vel « scandali pericula. Qua in re graviter oneratur eorum con- « cientia [2].

Mandamus etiam ne aliquis e praefatis conventibus aut

---

[1] Decr. XXIV.

[2] Conc. Plen. Baltim. III, n. 291.

nundinis, sive Dominicis et festis diebus, sive cum liquorum inebriantium usu, vino et cerevisia inclusis, instituatur, vetitis quidem tempore nocturno excursionibus (*pique-niques*).

Praeterea quae sequuntur, a Patribus Conc. Baltimorensis III nuper decreta, Nos in Provincia nostra promulgamus, quibusdam immutatis.

Ut finis imponatur nimiae et importunae multitudini tam laicorum, quam clericorum, sive saecularium, sive regularium, qui ex alienis regionibus huc variis de causis mendicaturi adveniunt, haec decernimus.

Volumus et edicimus ut in posterum nullis qui ad colligendum venisse sciuntur, venia detur a rectoribus vel unica vice celebrandi missam (quod tamen de regularibus in monasteriis proprii Ordinis privatim celebrantibus intelligi nolumus), donec ab Ordinario ipso hanc veniam acceperint; utque nullis huiusmodi quaestoribus colligendi concedatur licentia, nisi eorum Ordinarius, vel Ordinis Praefectus, ipse per literas praevias eam pro iisdem obtinuerit ab Episcopis in quorum dioecesibus eleemosynas rogare desiderant. Praeterea continuo exposcatur ab eorum Episcopo vel Superiore ut eos revocent; qui si id facere noluerint vel neglexerint, ad S. Congregationem de Prop. Fide sine mora abusus corrigendus deferatur.

Prohibemus ne absque speciali licentia scripta Ordinarii in quavis dioecesi, sive in ephemeridibus, sive in foliis encyclicis (*circulaires*) publice, sive privatim, offerantur missae pro iis omnibus dicendae, qui ad aedificandas ecclesias, conventus aliasque huiusmodi aedes, aut ad solvenda harum institutionum debita, aut ad quodcumque aliud pium opus eleemosynas contulerint. Hunc abusum vehementer reprobamus, et prohibemus.

DECRETUM V

DE BLASPHEMIA VITANDA

Christus nos edocuit quotidie orare *ut sanctificetur* nomen Patris nostri, *qui est in coelis. Sanctum* enim *et terribile nomen eius* [1]. *Admirabile... in universa terra* [2]. *Sit... benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum* [3].

Dolendum maxime quod filii Ecclesiae, huius veritatis immemores, imitantur *linguam blasphemantium* [4], et proprio ore sibi formidabilem condemnationem acquirunt : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur* [5]. Propter unicam unius viri blasphemiam, *in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* [6].

Concludendum est, iuxta S. Thomam, formalis blasphemiae vitium omnium peccatorum ex suo genere gravissimum esse ; blasphemia enim opponitur confessioni fidei ; et ideo habet in se gravitatem infidelitatis ; et aggravatur peccatum, si superveniat detestatio voluntatis ; id adhuc magis, si prorumpat in verba : sicut et laus fidei augetur per dilectionem et confessio-

---

[1] Ps. CX, 9.
[2] Ps. VIII, 2.
[3] Ps. CXII, 2.
[4] Job, XV, 5.
[5] Levit., XXIV, 16.
[6] IV Reg., XIX, 35.

nem. Unde cum infidelitas sit maximum peccatum secundum suum genus..., consequens est quod etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, et ipsum aggravans »[1].

Et S. Hieronymus, super illa verba Isaiae[2] *ad populum horribilem*, (vulg. *terribilem*) ait : « Nihil enim horribilius blasphe- « mia, quae ponit in excelsum os suum. Post quem non est « alter populus : omne quippe peccatum comparatum blasphe- « miae levius est ».

Intelligant igitur omnes quale et quantum scelus sit blasphemia contra Deum et contra Sanctos eius aut res sacras.

Contra illud identidem, et prout opus fuerit, pastores clament, et quasi tuba exaltent vocem suam, annuntiantes populo scelera eorum[3]. Blasphemantes increpent in omni patientia et doctrina, ut deponant iram, indignationem, malitiam, quae sunt ordinariae causae blasphemiarum. Iustos autem invitent ut, ad instar pii regis Ezechiae[4], dolorem suum manifestent, pro impiis ferventes preces effundant, et, quantum in ipsis fuerit, piacula maiestati divinae offerre non cessent.

DECRETUM VI

DE IURAMENTO

« Sanctum et terribile nomen Domini » ; summa igitur reverentia, summoque timore et tremore proferendum, invo-

[1] II. II., Qu. XIII, art. III.
[2] Cap. XVIII, 2.
[3] Vide Is., LVIII, 1.
[4] IV Reg., XIX, 1.

candum et benedicendum. Quam vero horrendum sit scelus, illud profanare, tum Scriptura sacra, tum ipsa ratio docent.

Huius sane veritatis sunt prorsus immemores ii omnes qui eo impietatis devenerunt, ut quasi maiestatem Omnipotentis spernerent, iam nomen sanctum eius in vanum assumere, atque nomen Dei sui polluere non reformidant.

Isti namque superbia, ambitione, aliisque malis cordis sui cupiditatibus exagitati et obcaecati, erroneam falsamque sibi effingentes conscientiam, quasi omnia sibi permissa forent, cum vel de rebus suis in indicio contendunt, vel maxime cum, illis effrenatae licentiae diebus, quibus populares aguntur electiones, de candidato pugnant, saepe iurare non dubitant *temere* et *falso* et *iniuste*. Tunc enim saepe iurant, vel se habere quod non habent, vel se revera possidere quod nonnisi ficte possident, vel bona fide tenere quod nonnisi fraudulenter tenent, vel se esse quod non sunt.

Tantam ergo impietatem, tamque damnabile scelus toto animo execrantes, atque totis viribus abolere cupientes, omnes parochos, aliosque sacerdotes in sancto ministerio laborantes obsecramus, atque obtestamur in Domino, ut fideles sibi commissos sanctitatem iuramenti diligenter frequenterque doceant, maxime vero instante illarum electionum tempore : quo tandem isti discant quanta religione, in *veritate*, in *iudicio*, et in *iustitia* iurare debeant, et quantam iniuriam divinae maiestati inferant, quantoque scelere conscientiam suam onerent, qui *falso*, *temere*, aut *iniuste* iurant : quacumque de causa, quocumque tempore, et quocumque loco ita male iurant.

Quia autem hoc nefandum periurii scelus, nedum in abominationem veniat, e contra frequentius evadit, Nos tanto malo occurrere volentes, quantum in Domino possumus, huiusce

criminis absolutionem nobis reservamus, quoties contractum fuerit coram iudice, magistratu aut ministro publico, seu ecclesiastico, seu civili.

Bis saltem in anno, praesertim vero temporibus electionum, donec ab Ordinario aliter statuatur, de hoc crimine et de hac reservatione loquantur pastores animarum in suis concionibus, ut tandem de tanto peccato concipiatur horror, nec possit quis de eius reservatione ignorantiam causari.

DECRETUM VII

DE USURA

Cum magno animi dolore perspicimus quantos et quam deplorandos progressus effecerit usura in hac provincia, ex quo lex, quae in ea *auctarium* seu *interesse* ex mutuo determinabat absoluto modo, adiectis poenis contra usurarios, revocata est. Iam enim res eo devenit, ut non pauci pecuniarum commodatores nullum sibi alium modum in exigendo *interesse* ex mutuo imponant, nisi quem ipsis, aut sua insatiabilis cupiditas, aut mutuatariorum gravis necessitas suggerit. Hinc valde timendum est ne, brevi tempore, illa pestis usurae totam societatem nostram invadat, ad magnam ipsius calamitatem, ad plurimorum ruinam totalem, atque ad ipsorum pecuniarum commodatorum aeternam damnationem, nisi eidem efficax promptumque remedium adhibeatur.

Quapropter omnes huius Provinciae parochos, missionarios, aliosque animarum rectores obtestamur in Domino, ut contra tantum nefas strenue dimicent.

Doceant igitur magnopere et valde periculose errare eos qui putant quod licet exigere tantum *interesse* ex mutuo, quantum obtineri potest a mutuatario *coarctato*, seu quacumque necessitate presso.

Sequentem vero regulam practicam statuimus tenendam in hac Provincia, donec aliter a Sancta Sede decernatur :

Quando partes convenerunt de *interesse* solvendo, nec quantitatem determinarunt, non sunt inquietandi si legi civili steterint.

In contractibus qui determinant *interesse* solvendum ultra taxam civilem, illud pro usurario habendum est quod excedit, vel titulum specialissimum quem habet mutuans, vel communem existimationem praesentis valoris pecuniae in loco ubi contrahitur, prout ex proborum et prudentium virorum iudicio dignosci potest.

Quisquis ergo suae conscientiae consulere velit, inquirat prius diligenter quousque sese extendat titulus quem habet, vel communis aestimatio, et quod quaerit lucrum ex mutuo omnis labis expers et immune reddatur, ne ipse propter vilem pecuniam sibi aeternam ruinam incurrat.

DECRETUM VIII

DE PECCATIS CONTRA CHARITATEM ET IUSTITIAM IN LITIBUS

Certum est, e pluribus Sacrae Scripturae verbis, charitatem, cuius Christus fuit exemplar et magister, non eos tantum qui naturali quadam amicitia nobis devinciuntur, sed ipsos inimicos amplecti debere.

Quapropter hortamur parochos in Domino ut, magna diligentia, lites quarum effectus est extinguere charitatem quam frequentissime, amice componi satagant inter fideles. Omni pariter zelo studeant ut graves iniustitiae, quae ex hisce litibus oriuntur, quantum fieri potest, impediantur.


Sed quum id efficaciter praestare non possint, nisi et ipsi facere coeperint, eos vehementer deprecamur, ad decus ecclesiastici ordinis et fidelium aedificationem, ne unquam, nisi absolutae necessitatis casu, ipsi apud civile tribunal causam agant.

Tribunalia publica, negotii aut litis causa, sacerdotes temere ne adeant. Ubi cum homine, etiam saeculari, et de re mere temporali, difficultas oritur, ne quemquam in ius vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi lites et disputationes sine iudicum auxilio componi nequeant. Quod si agatur de contractibus, debitis, haereditatibus, testamentis, publicis instrumentis, aut aliis huiusmodi, in quibus sententia iudicis saecularis est vi legis politicae necessaria ad efficacem causae determinationem, si qua ratio inveniri potest quaestionem pacifice componendi, ea adhibeatur, ut recursus ad tribunal civile necessarius non evadat.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



DECRETUM IX

DE ELECTIONIBUS POLITICIS ET ADMINISTRATIVIS

Experientia deploranda nimis omnibus compertum est quod electiones legatorum, tum ad Senatum legiferum, tum etiam ad concilia municipalia (*les députés de la chambre législative et les conseillers municipaux*), factae sunt populo nostro, si non equidem causa, at certe valde reformidanda occasio corruptelarum, flagitiorum atque peccatorum innumerabilium, et ex omni genere mendaciorum, detractionum, simultatum, ebrietatum, rixarum, blasphemiarum, periuriorum, etc.

Iam quidem res eo devenerunt ut saepe saepius, tempore huiusmodi electionum, electores eorumque asseclae quasi spiritui vertiginis et erroris traditi videantur. Heu ! in illis diebus iniquitatis, quam multi non reformidant aures claudere voci conscientiae suae, et oblivioni dare omnem timorem Dei, ac Deum ipsum, quasi omnia tum ipsis licerent, aut Deus non eos videret, aut nec recordaretur, nec iudicaret !

Clament ergo adversus tantam omnium religionis morumque principiorum perturbationem, tamque flagitiosam et exitiosam pravitatem sacerdotes, ministri Domini ; vocem elevent animarum pastores, et annuntient populo suo peccata eorum, et filiis Ecclesiae scelera eorum [1], nec cessent, nec timeant clamores impiorum perversorumque hominum.

---

[1] Vide Is., LVIII, 1.

Praeterea, nihil omittant iidem pastores ut fideles sibi commissos praemuniant contra seductiones, scandala et omnia pericula horum dierum malorum ; ipsisque longe ante, maxime vero tempore ipso illarum electionum, sedulo in memoriam revocent quod Deus dominantium Dominator et electionum dominus est ; et quod ipse est qui aliquando et dictos electores et candidatos et electos iudicabit, atque *reddet unicuique secundum opera eius*[1], nec magis parcet eis qui intra quam illis qui extra tumultum electionum peccaverint.

Edoceant eos diligenter officia sua quoad praefatas electiones, ipsis inculcando fortiter quod eadem lex quae civibus tribuit ius suffragii, iisdem gravem affert obligationem ferendi suffragium suum quando oportet, atque hoc semper iuxta conscientiam suam, coram Deo, pro maiori bono tum religionis, tum reipublicae patriaeque suae ; proindeque, quod semper coram Deo ex conscientia tenentur suffragium suum dare illi candidato quem prudenter iudicant vere probum et idoneum ad implendum illud magni momenti munus sibi demandatum, invigilandi scilicet bono religionis et reipublicae, atque adlaborandi fideliter ad illud promovendum ac servandum. Unde evidenter sequitur eos omnes peccare, et quidem non tantum coram hominibus, sed et coram Deo, qui vel suffragium suum vendunt, vel, quacumque ex causa, dant candidato sibi cognito prout indigno, vel denique alios inducunt ad idem faciendum.

Haec fideliter doceant populum suum pastores, tanquam fideles ministri Christi ; in his insistant, sistantque in omni charitate et patientia ; nec ultra procedant in circumstantiis

---

[1] Rom., II, 6.

consuetis. Et si quae particulares aut extraordinariae occurrant circumstantiae, maxime caveant ne quidquam moliantur inconsulto Episcopo.

Peractis electionibus, pastores hortentur suas oves ut sibi mutuo condonent quidquid temporibus illis offensivum dictum aut factum fuerit, et simul pro bono religionis et patriae laborent corde magno et animo volenti, nullo habito respectu ad praeteritas controversias.

DECRETUM X

DE CONVENTIBUS PUBLICIS PROPE ECCLESIAS NON HABENDIS

Propter sanctitatem Ecclesiarum et venerationem quae eis debetur, prohibemus ne publici conventus politici, aut alii profani, locum habeant in earum proxima vicinitate, nec illarum e gradibus orationes proferantur. Sed conventus illi satis distent ut religiosum silentium, quod in domo Dei regnare convenit, non turbetur.

DECRETUM XI

DE PRAESCRIPTIONE

Huius Concilii Patres, quorum est officium concreditarum sibi animarum saluti modis omnibus consulere, saepe saepius animadverterunt non ea, quam iustitiae virtus postulat, ratione compleri praescriptiones, praesertim quas vocant unius anni, duorum vel quinque annorum, atque, deficiente bona fide, haud dubia proximo damna culpabiliter inferri. Quocirca, ut malo remedium occurrat, opportunum maxime videtur potissima illa in mentem revocare principia, quibus neglectis iustitia in praescribendo pessumdatur.

Praescriptio intelligi potest veluti ratio ius obtinendi aliquod per continuatam possessionem certo tempore a lege definitam; quod quidem ius, si acquisitio sit alicuius boni, praescriptio dicitur *acquisitiva*, *liberativa* autem, si quis praescriptionis ope a servitute vel debito liberetur.

Hos tamen effectus praescriptio nullatenus producere potest, nisi debitas conditiones induat. Quae conditiones ita recensendae sunt, ut imprimis requiratur *res praescriptibilis*, deinde *possessio*, *tempus certum*, *titulus* et *bona fides*.

Plura hic praetermittimus quae de singularum conditionum indole ad edisserendum praesto essent... At una est, scilicet bona fides, in quam necessarium esse ducimus ut fideles animum speciali quodam studio advertant.

Nam 1. dominium rei vel iuris cuiusque sibi praescriptione

nemo comparare potest, qui bona fide careat. Hoc sane Lateranense Generale Concilium sub Innocentio III habitum disertissimis verbis sic statuisse refertur : « Quoniam omne, quod « non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, ut « nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam « civilis... ; unde oportet ut qui praescribit in nulla temporis « parte habeat rei alienae conscientiam ». Quibus Concilii dictis accedit vetus illa iuris regula quod *possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Quae omnia valent pro toto orbe et pro omni genere praescriptionum.

2. Quantum ad praescriptiones unius anni, duorum vel quinque annorum, quas continet codex inferioris Canadensium regionis, perdifficile est bonam haberi fidem, quae eis faveat.

Hinc 3. alta teneant mente fideles, possessorem malae fidei, sive de acquisitiva, sive de liberativa praescriptione agatur, nunquam posse rem alienam praescribere.

4. Tanti autem aestimanda est in quaestione bonae fidei necessitas, ut ea sublata, neque lex, neque sententia iudicis, utpote quae natura iniustum iustum facere nequeat, ex se dominium valeat transferre, vel debitum et servitutem extinguere.

Quapropter 5. si ius civile bonam quandoque non exigat fidem, vel initio tantum possessionis adfuisse requirat, talem iuris dispositionem nullius prorsus roboris esse pro foro conscientiae declaramus.

DECRETUM XII

DE PROCURANTIBUS ABORTUM

Satagant sacerdotes quibus animarum cura incumbit, ut, quantum possunt, eliminent peccatum illud gravissimum quo directe, sive per interpositas personas, abortus procuratur, quibuscumque modis id fiat, ac nominatim impediant illam huius sceleris rationem qua chirurgicis instrumentis infans in utero necatur.

In mentem omnium revocamus poenas quae in procurantes abortum latae sunt. SS. enim D. N. Pius IX, in Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi*, anno 1869, excommunicationi *latae sententiae* Episcopis sive Ordinariis reservatae, subiacere declaravit: Procurantes abortum, effectu sequuto [1].

DECRETUM XIII

DE MEDICORUM OBLIGATIONIBUS QUOAD ANIMAS AEGROTANTIUM

Medici catholici ad vitam huius temporis servandam etsi directe et proprio munere instituti, sedulo etiam advertere

[1] Vide in App. recentiores declarationes Sanctae Sedis.

debent grave sibi incumbere officium charitatis erga aeternam aegrotorum salutem, quae multo quidem praestantior est corporum sanitate.

Diligenter ergo infirmos de periculo mortis per se vel alios tempestive moneant, caveantque ne, improbo suadente metu, in id temporis procrastinetur admonitio, quo patientes vel morte ante sacramentorum susceptionem praeoccupentur, vel vi morbi, et mortis instantis doloribus oppressi, sacramenta minus fructuose accipiant.

Cum praeterea a supremo vitae exitu pendeat aeternitas, omnino medici abstineant a pharmacorum subministratione quibus moribundi, sensibus simul et dolore sopitis, demptaque actus christianos producendi facultate, ultimo *status viae* merito destituuntur, atque forsan damnationis periculo exponuntur.

Declarant autem Patres :

1. Licere quidem medicis aliquem privare sensibus ope narcoticorum (*chloroforme, morphine*,etc.), si fiat ad breve tempus, citra mortis periculum, et sufficienti causa, nempe ad acerbos dolores temperandos, et speciatim ad chirurgicam operationem peragendam.

2. Licere etiam si in casu desperato quaedam affulgeat probabilitas servandi vitam.

3. Nunquam vero licere in periculo mortis, solo intuitu doloris sensum tollendi.

Medicos autem monemus ut suos patientes amovere conentur ab usu narcoticorum ex quo profluunt effectus tam perniciosi.

DECRETUM XIV

DE SPIRITISMO ET HYPNOTISMO.

Honestum quidem et prorsus laudabile est studium quo feruntur homines ad perficiendas cognitiones, operationesque suas; ab ipso enim Deo insitum, maximas in ordine tum temporali, tum spirituali, modo Ecclesia tutelam praestet, utilitates affert.

Humanis tamen scientiis et artibus fuerunt a Creatore limites praefixi, quos diligenter dignoscere et humiliter revereri debemus, quum ad solum Deum pertineat cogitationes cordium scrutari, futura contingentia praescire, e nihilo creare, mortuos suscitare. Plurima etiam, ut ex revelatione et omnium saeculorum historia patet, Angeli sive boni sive mali, propter suam excellentem naturam, noscunt et agunt, quae praeternaturalia dicuntur, scilicet facultates humanae naturae superantia, eo quod anima nostra, nonnisi fragili corpore mediante, res extra ipsum corpus positas percipere valeat ac movere.

Non est hic locus diversas operationes certo praeternaturales enumerandi, de quibus abundanter agitur apud theologiae scriptores: verum ubi dubitatur utrum a bonis an vero a reprobis angelis ista prodigia procedant, in singulis casibus, ex qualitate personarum, mediis, fine, effectibus, diversisque circumstantiis diiudicandum est.

Caeterum a multiformi Satanea fallacia omnino tuti sunt filii obedientiae, qui, curiositatem inordinatam refrenantes,

Ecclesiae doctrinam infallibilem sapientesque leges libenter amplectantur.

Igitur fideles abhorrere debent a Spiritismo, quem fautores ipsius laudant tanquam scientiam communicationum extraordinariarum hominis cum Spiritibus, et artem huiusmodi communicationes instituendi : isti enim spiritus, qui illicitis evocationibus obsequuntur, non sunt nisi daemonia, quamvis nonnunquam mentiantur se esse defunctorum animas, imo se transforment in angelos lucis, ut per blanda et pia verba primum illos decipiant quos in laqueum impietatis et in infernalem abyssum trahere satagunt.

Nec minori zelo per solidam instructionem et genuinae pietatis culturam, extirpandae sunt variae illae superstitiones, quibus effectus plus vel minus mirandos, exempli gratia, futuri eventus notitiam, protectionem a quibusdam periculis, certo secuturos esse ex impari causa confiditur, nempe quae nec vi naturali nec divina promissione talem possidet efficaciam. Tentatur enim Deus, si speretur miraculosus eius interventus ; secus, daemonis auxilium implicite postulatur.

Nunc ad quaestiones de Hypnotismo vehementer hodie agitatas veniamus, non quidem ad dispellendam caliginem qua ex magna parte obvolvuntur, sed ad fideles docendos quid licitum sit, quid vero illicitum.

Per Hypnotismum intelligitur quaedam species soporis libero voluntatis actu provocati, quo durante suspenditur in subiecto rationis usus, aliis facultatibus activis remanentibus ad nutum hypnotizantis.

Etsi frequenter irrepant fraudes et hallucinationes, negari nequit ex hypnotismo vel eius occasione nonnullos contingere effectus, quorum alii quidem tum in se, tum in mediis quibus

obtinentur, naturales sunt, alii vero ita describuntur, ut prudenter suspicandum sit eos esse praeternaturales vel ratione sui, vel ratione modi quo oriuntur et cessant, alii tandem certo superant humanae naturae vires.

Quamdiu controversias circa quaedam puncta ferventes non diremerit Ecclesiae declaratio, vel sanae scientiae sententia, unicuique licet in sensu suo abundare, ac modestis disputationibus elucidare facta sagaciter observata.

Interim fateri non cunctantur etiam plurimi inter ipsos hypnotismi fautores, huiusmodi somnum esse morbidum statum, nec variis ac gravibus in ordine tum physico tum morali periculis carere, non solum quia saepe a pravis vel insciis hominibus inducitur, sed quia doctissimos ipsos viros latent regulae, quibus in omni casu damna praecaveantur.

In tali rerum conditione, sequentes regulae, quae ex immutabilibus Decalogi praeceptis et Ecclesiae doctrina fluunt, hodiernis difficultatibus sunt applicandae, ut conscientiis practice formandis provideatur :

Graviter peccat qui, praetextu hypnotismi, effectus praeter naturales, quantumvis utiles videantur esse, provocat, patitur aut adiuvat.

Nefas est adhibere media quae in se honestati contraria sunt, vel ea indiscriminatim ponere ex quibus inordinatus amor, aut propensio ad quodlibet illicitum, certo vel probabiliter orietur.

Ius strictum violat in gravi materia, qui attentat nolentem vel absque sufficienti effectuum cognitione consentientem in somnum hypnoticum inducere, aut patientis libertatem tyrannice suo imperio subiicere.

Ille etiam reus est iniustitiae, qui tali sopore abutitur, ad

subripienda secreta, quae subiectum, in statu vigiliae, recusaret tradere.

Quum sopor ille rationis usum violenter tollat, patientemque variis incommodis ac periculis reddat obnoxium, absolute illicita est provocatio ad illum tum activa tum passiva, quavis ex causa : tales effectus ratione sui provocare semper est illicitum, nec, etiamsi naturales habeantur, sine gravissima et proportionata causa permitti unquam possunt.

Probus medicus conscientiam suam sentiret graviter oneratam, si, posthabitis remediis quorum ipse potest effectus certo praevidere et ad nutum moderari, infirmum sibi fidentem in probabile damni discrimen per hypnotici soporis usum coniiceret.

Non tamen inquietandus, sed neque approbandus, vir prudens et bonus, auctoritati Ecclesiae paratus obtemperare, qui sibi proponens gravis morbi vel doloris levamen, ubi cetera media aeque apta deficiunt, praevidens per bonos effectus incommoda esse compensanda, aegroto postulante vel saltem libere consentiente, vocatis suae probitatis testibus, propriae voluntatis imperium exercere non tendens ultra necessitatis limites, non esse sibi illicitam censeret hypnotici soporis provocationem [1].

[1] Vide in App. decret. S. Off., 26 iulii 1899.

TITULUS XI

DE OPERIBUS ZELI ET PIETATIS

DECRETUM I

DE IEIUNIIS ET ABSTINENTIA

Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis [1] : haec sunt verba Domini Salvatoris qui ipse fecit et postea docuit ; unde ieiunavit et abstinuit ipse quadraginta diebus in deserto, nobis relinquens exemplum. Omnes vel tyrones vitae christianae norunt illud Pauli Apostoli effatum : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [2]. Ecclesia Christi haec vitae reparatae principia attendens, leges quasdam saluberrimas sancivit quibus ieiunium et abstinentia certis diebus praescribuntur. Haec duo praecepta, quae in prioribus Ecclesiae temporibus non separabantur, repeti debent ab ipsis Apostolis, renovataque fuerunt in variis SS. Pontificum constitutionibus ; et quum aliunde respiciant materiam gravem quae multum ad salutem animarum conducit, ullo absque dubio sub gravi fidelium conscientiam obstringunt.

---

[1] Luc., XIII, 3.
[2] Gal., V, 24.

Nunc autem refrigescente charitate multorum et crescente eorum numero quorum Deus venter est, quot sunt Christiani qui toti in hoc incumbunt ut Ecclesiae praecepta de ieiuniis et abstinentia vitent! Oblivioni mittunt illa monita : *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* [1]. Non audiunt Paulum dicentem : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* [2]. Unde fit ut spiritus sapientiae paulatim in dies in multis fidelibus videatur deficere, unde crescunt superbia, concupiscentia carnis et omnia vitia. Multis hodie fere nunquam desunt motiva, saepissime vana omnino et futilia, ad excusandas excusationes in peccatis, ut a ieiunio et etiam abstinentia declinent. Multi enim sunt parentes, ex divitibus praesertim, qui noxia levitate ducti et sibi frivolas et aliquando falsas causas fingentes, omnes Christifideles usum rationis adeptos abstinentiae praecepto adstringi obliviscuntur, et pueros iuvenesque, quamdiu aetatem ad ieiunium ab Ecclesia determinatam non attigerunt, sua propria auctoritate abstinentia excusant. Alii sunt etiam inter eos qui opibus valent, qui sub pretextu debilitatis sese ieiunio impares reputant, et quum hac de re catholicos medicos, pios et doctos, propriumque confessarium, consulere deberent, e contra, quid ipsis in casu sit agendum, a protestantibus medicis inquirunt.

Huic malo gravissimo obstent pastores ; necessitatem poenitentiae, praesertim per ieiunia et abstinentias ab Ecclesia praescripta, opportune et importune praedicent, inobedientes increpando et adiuvando revocent in viam poenitentiae quam monstrat crux salutaris. Certissime constat temperamenta, etiam

---

[1] Matth., XI, 12,

[2] I Cor., IX, 27.

huic Provinciae specialia et a pastoribus apprime cognoscenda, fuisse ab Ecclesia pia Matre filiis suis concessa infirmis. Leges ipsas cum temperamentis populo christiano explicabunt parochi. Fideles omnes de obligatione inquirendi a confessario et pastoribus utrum lex in tali vel tali casu obliget, monebunt.

Fideles tandem hortabuntur ut, quum lex poenitentiae omnes statuto tempore indiscriminatim afficiat, illi quos sufficientes causae a ieiunii lege eximunt, ii praesertim qui inter divites et molestis laboribus solutos numerantur, spiritualibus poenitentiis et mortificationibus, ferventioribus precibus, frequentioribus eleemosynis, necnon strictiori temperantiae observantia, ieiunii et abstinentiae lacunas, quantum fieri poterit, supplere curent.

Ita caute abducent greges fidelium a laqueis inobedientiae, a conscientiae perplexae et erroneae insidiis: et curabunt, quantum in se est, ut populus christianus magis ac magis Christo crucifixo sit conformis, et a spiritu mundi nequam alienus. Ad hoc autem, ut verba, hortationes et increpationes pastorum efficaciter revocent a via lata perditionis in viam arctam quae ducit ad vitam, exempla eorumdem pastorum praecedant, quasi iugis praedicatio eorum qui, Divini Praedcatoris instar, inceperint facere et postea docere temperantiam.

DECRETUM II

DE SOCIETATIBUS AD TEMPERANTIAM PROMOVENDAM

Maxime deploranda intemperantiae mala nos iterum gementes impellunt, ducibus Concilii V Quebecensis et Plenarii Baltimorensis III Patribus, ad efficacia remedia adhibenda.

« Dubitandum non est, aiunt laudati Patres Baltimorenses, « quin inter mala quae in hac regione maxime deflemus, « reputandum sit illud quod in potuum inebriantium abusu « consistit. Est enim huiusmodi excessus peccati fomes perpe- « tuus, miseriarumque origo fecunda ; homines innumeros « familiasque integras ruina pessima obruit, animasque pluri- « mas in exitium aeternum praecipites trahit. Et quoniam hoc « vitium etiam inter catholicos non parum saevit, scandalum « acatholicis datur, magnumque obstaculum religionis dilata- « tioni opponitur. Christianos igitur omnes et religionis et « patriae amor urget, ut omni studio dent operam huic pestifero « malo extirpando.

« Ab Ecclesiae sacerdotibus, quibus Deus officium dedit « homines verbo vitae erudiendi bonisque moribus informandi, « auxilium in primis speramus. Nunquam cessent contra ebrie- « tatem eiusque occasiones fortiter conclamare ; praesertim « vero quum exercitia spiritualia pro populo habent. Memores « etiam doctrinae apostolicae plebem commissam ex animo

« doceant scriptum esse: *Neque ebriosi...regnum Dei possidebunt* [1];
« revocent in mentem aliorum qui existimant se stare, verba
« Eccli. [2]: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Praeterea quum
« verba moveant tantum, exempla vero trahant, sacerdotes
« ipsimet, qui, monente Apostolo, debeant esse *forma gregis ex*
« *animo*, sint temperantiae virtutis exempla.

« Vestigiis inhaerentes Patrum superiorum Conciliorum
« Baltimorensium, et doctrinae innixi Doctoris Angelici [3], appro-
« bamus et magnopere commendamus laudabilem plurium
« morem, qui temporibus nostris ab usu potuum inebrantium
« omnino abstinent, quo vitium intemperantiae securius
« coerceant, sive eiusdem occasiones a semetipsis amovendo,
« sive aliis virtutis temperantiae exemplum praeclarum exhi-
« bendo, quorum zelum secundum scientiam esse, iamque
« magnos fructus tulisse ac maiores etiam in futuro ferendi
« spem praebere ultro fatemur. Societates quae veniunt nomine
« Unionis catholicae ad abstinentiam totalem promovendam
« magna laude dignas agnoscimus; spiritu vere catholico re-
« guntur et non tam in propriae voluntatis firmitate quam in
« precum et sacramentorum virtute vires necessarias quaerunt.
« Notum est praeterea quod caput totius Ecclesiae et Christi
« in terris Vicarius non semel easdem benedictione sua aposto-
« lica et indulgentiis Ecclesiae locupletavit. Proinde nos quo-
« que iisdem signa nostrae benevolentiae exhibemus, et quo
« magis floreant, eas omnium nostrorum sacerdotum curae pa-

[1] I Cor., VI, 10.

[2] III, 27.

[3] II. II., q. 149, a. 3.

« ternae commendamus, ut eis non modo animos addant, sed « etiam semitam catholicam semper demonstrent »[1].

Hactenus Baltimorensis Synodi Patres: quibus laudibus addere supervacaneum esset.

Sed Patribus huius Concilii opportunum est visum in mentem parochorum et fidelium revocare quinti Concilii Provincialis Quebecensis decretum XIX, quo omnes animarum rectores in Domino monebantur ut novo cum zelo ebriositatem impugnarent, « praesertim 1. religiosas temperantiae societa- « tes instituendo vel restaurando: 2. operam dando ut quam « paucissimi licentiam obtineant caupones, hique recte ordi- « nati viri; 3. absolutionem renuendo istis consiliariis (*mem-* « *bres des conseils municipaux*) qui, postpositis conscientiae legi- « bus, licentiam tabernariam scienter concedent indignis, nec- « non talibus cauponibus legem tam civilem quam moralem « violantibus, omnibusque sine licentia cauponam exercenti- « bus ».

Idem dicendum de iis qui, nomen dando vel aliter, iis favent licentiam postulantibus quos sciunt non esse dignos. Scilicet digni censeri possent qui huiusmodi suffragia postulant viri quos commendat vita sua christiana, conscientia satis timorata, atque voluntas ita propositi tenax ut spem electoribus praebeant officii cauponis fideliter implendi. Cauponem quidem oportet esse sobrium, ne facilius in sua domo vitiis habenas laxet. Erit insuper probatae vitae, ex qua prudenter iudicare possint electores illum non esse in caupona sua ludos prohibitos aut quidquid est vetitum lege morali permissurum; illumque diebus Dominicis et aliis diebus feriatis, cauponam suam

[1] Conc. Plen. Balt. III., n. 260-262.

clausam esse servaturum, non tantummodo propter mulctae timorem, sed propter conscientiam et reverentiam diebus Domini debitam.

Has quidem societates, a S. Pontifice approbatas et indulgentiis locupletatas, in singulis paroeciis instituendas vel restaurandas esse denuo decernimus, salvis tamen quae Sanctissimus Dominus Noster Pius IX, de consilio quidem PP. Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide, in decreto *Indulgentiae concessae societatibus a Temperantia*, mandare dignatus est.

« Nimirum, Sanctissimus, praedictis societatibus, dummodo nullum in eis fiat votum aut iuramentum, et promissio abstinendi a vino aliisque potionibus inebriantibus ita emittatur ut eius violatio non sit peccatum, easdem indulgentias perpetuis futuris temporibus valituras ac fidelibus quoque defunctis applicabiles benigne concessit ».

Unde plane compertum est atque in confesso apud omnes esse debet moderatum vini aut cuiusvis potionis usum *per se* prorsus culpa vacare. Quamobrem, mandatis S. Pontificis adhaerentes, promissionem hac de re faciendam, instar *propositi* haberi volumus, quod iis, qui illud concipiunt mutuorum quidem exemplorum et orationum vim afferat, nullum vero novum officii vinculum imponat, ita ut, si quis in eo servando forte deficiat, non aliter peccet, nisi quod modum excedat, aut se periculo, propriam ipsius infirmitatem consequenti, obiiciat.

Oratione, vigilantia, sacramentorum usu, occasionum fuga opus est, ut bona a nobis suscepta consilia ad effectum adducantur. Porro cauponas esse occasiones nimis frequenter contra temperantiam peccandi, neminem latere potest. Ideo praescripta Patrum V Concilii Provincialis Quebecensis renovantes,

enixe sacerdotes omnes piosque laicos hortamur ad laborandum ut quam paucissimi licentiam obtineant caupones, iique recte ordinati sint viri. Cum eiusdem Concilii Patribus, confessariis denuo iniungimus ut istis consiliariis (*membres des conseils municipaux*), qui licentiam *tabernariam* scienter concedunt indignis, absolutionem denegent.

Cum laudatis Concilii Baltimoren. III Patribus, « fideles qui « liquorum inebriantium mercaturam faciunt monemus, ut se- « rio recogitent quot quantisque periculis peccatique occasio- « nibus eorum quaestus, quamvis in se non illicitus, sit cir- « cumdatus. Honestiorem rationem sustentandi vitam, si pos- « sunt, seligant. Sin minus, totis viribus tam a semetipsis « quam ab aliis occasiones peccati studeant amovere. Neque « iunioribus, eis scilicet qui sui iuris non sunt, potum vendant, « neque eis quos potu abusuros praevident. Cauponas suas « die Dominica (*et diebus feriatis*) clausas servent ; nulloque « tempore intra tabernarum suarum parietes blasphemias, ma- « ledictiones aut eloquia turpia proferri sinant ; » nec unquam sibi fas esse autument sine licentia tabernaria cauponam exercere : haec autem saluberrima praecepta violantes, noverint se indignos esse qui ad sacramenta recipienda admittantur. Denique « si culpabili ipsorum causa aut cooperatione religio in « dedecus et homines in ruinam traducuntur, sciant in coelis « vindicem existere poenas ab ipsis gravissimas certo exactu- « rum » [1].

---

[1] No 263.

DECRETUM III

DE ADIUMENTIS QUAE OPIFICIBUS PRAEBENDA SINT

Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII, cum plane videret nostrae aetatis mercenarios infimaeque sortis homines, magna ex parte, in gravi rerum difficultate miseraque fortuna versari, ad eiusmodi malo celeriter et provide occurrendum, praeclarissimas Literas Encyclicas de *Conditione opificum* [1] edere duxit, addita altera *Graves*, 18 ian. 1901. Principia autem et remedia in eis statuit, quibus res proletariorum ad meliora adducerentur, eorumque cum locupletibus dimicationes dirimeret.. Quas quidem dispositiones Apostolicas, omni sapientia et caritate paterna refertas, in hoc decreto publicari et ab omnibus observari volumus.

In primis itaque declaramus a *Socialistis* esse omnino discedendum. « Evertere enim privatas bonorum possessiones con« tendunt oportere, eorumque loco communia universis singu« lorum bona facere ». Atque eiusmodi translatione « mederi « se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter « cives aequabiliter partiendo » [2].

Istud vero commentum valde repudiandum est. Nam iis ipsis quibus est opitulandum nocet, quoniam eos libertate col-

---

[1] Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

[2] Ibid.

locandi salarii uti velint destituit, et propterea utilitatibus sibi comparandis spoliat. Insuper cum iustitia aperte pugnat, quum possidere res privatim ut suas ius sit homini a natura datum. Pervertit etiam officia reipublicae, in eo quod posthabita providentia parentum, in familiam, contra legem naturae, introducit providentiam reipublicae, et domorum compaginem dissolvit. Denique tranquillitatem perturbat, omnes civium ordines miscendo et, ademptis solertiae stimulis, divitiarum fontes exsiccando.

Quum ergo privatae possessiones sint inviolate servandae, aliunde petendum est remedium quod exquiritur.

Non sane dubium quin a republica adiumenta multa expectanda sint. Plurimum enim ex munere suo opificum conditionem iuvare potest et debet. Primum quidem ex generali ratione legum, quia in commune consulere ultro prodest tam civitatis quam privatorum prosperitati. Praeterea postulat iustitia distributiva, ut princeps ordinem proletariorum non secus ac locupletum tueatur, cum proletarii sint natura cives pari iure cum locupletibus. Et iubet aequitas nominatim curam de proletario publice geri, ex eo quod verissimum sit non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum.

Quin etiam in iuribus privatorum tutandis, ac in iniuriis imperio legum propulsandis, praecipue est inopum habenda ratio, qui nullo divitiarum praesidio tuti, in patrocinio reipublicae maxime nituntur.

Praeterea auxilio reipublicae munienda sunt in opifice bona tum animi tum corporis. Itaque efficiat potestas civilis ut non impediatur cursus ad eam perfectionem quae sit consentanea vitae sempiternae, ac mercenarius operum quietem per festos dies capere valeat. Quod autem

attinet ad tutelam corporis, caveat ne tantum exigatur operis ut corpus defatigationi succumbat, nec quotidianum opus in plures trahatur horas quam vires sinant, nec quod facere vir validus potest, a femina puerove postuletur.

Sed multum abest ut ex huiusmodi praesidio civili res pacatae et compositae evadant locupletes inter et egentes.

Partem remedii etiam conferre debent heri et divites. Quorum officia sunt praecipue: non habendos mancipiorum loco opifices; sed in eis vereri dignitatem personae, et illa fovere quae ad religionem et bonos mores spectant; in operibus quibuslibet neminem premere nimio onere et cuiusvis valetudini consulere; cuique quod suum est, et maxime aequum salarii modum, praebere. Non autem verum est, libera pactione confecta inter dominum et opificem, eo ipso salarium fieri aequum et iustum. Subest enim semper ex iustitia naturali aliquid paciscentium voluntate maius, scilicet alendo opifici honesto haud imparem esse mercedem oportere. Sed satius erit eam rem et alias huiusmodi iudicio reservare collegiorum, accedente, si opus fuerit, tutela reipublicae.

His vero a dominis expletis, non adhuc depelletur malum. Semper enim erunt partitae opes dispares, semper rationes a se discrepantes heri ac mercenarii, et molestiae tolerandae quamplurimae.

Quapropter ad religionem et Ecclesiam omnino recurratur necesse est. In tanta enim causa, sine dubitatione affirmamus cum supremo Pontifice nostro inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas ad componendum sociale dissidium aptissimas, quae vitam et mores singulorum sanctissimis praeceptis suis regere contendit, quae ipsos reipublicae moderatores de

suis erga cives omnes officiis cum auctoritate admonet, quae divitibus cum Paulo praecipit : *facile tribuere, communicare* [1], quae imo, ut bene habeant proletarii, collegia religiosa condit aliaque permulta instituit, quibus genus miseriarum prope nullum est quod solatio careat.

Ecclesiam igitur ut parentem filiali amore prosequantur infimi et artifices, eiusque praescripta et monita religiose amplectantur.

Idcirco meminerint ferendam esse conditionem humanam. Plurimae sunt enim in hominibus natura dissimilitudines quas sua sponte sequitur fortuna dispar. Simili modo pati et perpeti humanum esse et in expiationem culpae ; quin etiam varias vitae mortalis acerbitates, Christo duce et mediante, esse virtutum incitamenta, viamque ad *aeternum gloriae pondus* [2] capessendum. Nam *si sustinebimus, et conregnabimus* [3]. Ideo locupletum ordinem non esse sua natura infensum ordini proletariorum.

Sciant etiam mercenarii iustitiam sancte servandam. Itaque operam libere et cum aequitate pactam fideliter reddant ; non rei alienae ullo modo noceant, non personam violent dominorum ; in ipsis tuendis rationibus suis abstineant a vi, nec seditionem induant unquam.

Longinquior autem vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis causa non raro est cur artifices *opere se solvant ex composito* (*grèves*). A qua re maxime caveant. Eiusmodi enim cessatio laboris non heros dumtaxat, sed opifices ipsos

[1] I Tim., VI, 18.
[2] II Cor., IV, 17.
[3] II Tim , II, 12.

saepe afficit damno, odia mutua movet, aditum ad iniustitias patefacit, mercaturis et publicis utilitatibus obest, haud procul est plerumque a turbis, et saepenumero tranquillitatem communem in discrimen adducit: quae omnia conscientia vetat. Ad res meliores ne contendant unquam repugnante iustitia. Satagant vero aequitatem pluris lucro facere, ac religionem officii omnibus rebus anteponere.

Non minoris est momenti mores christianos integre in eis florescere. Neminem enim egentium praetereat frugi vivendi rationem maxime coniungi cum hominis bono etiam externo, atque sacram esse doctrinam non probro habendam paupertatem, nec eo pudendum quod victus labore quaeratur, nam re et facto Christus Dominus *egenus factus est* [1], magnamque vitae partem in opere fabrili consumpsit. Eisque sit omnino ratum veram hominis dignitatem in virtute positam, virtutemque commune mortalibus patrimonium, divitibus et proletariis aeque parabile; quos si christianis praeceptis paruerint, non amicitia solum, sed amor etiam fraternus inter se conjugabit.

Enixe autem opifici commendamus ut parcimoniae studeat, spe adipiscendi aliquem fundum. Nam si quamplurimi ex multitudine quidpiam obtineant quod solo continetur, praeclarae utilitates consecuturae sunt. Ac primum aequior partitio bonorum, sublato inter summas divitias summamque egestatem discrimine. Praeterea terrae fetus major erit abundantia futura, augebunturque divitiae civitatis, quia in solo percolendo alacritas adhibebitur longe major. Illudque tertio loco manabit commodi quod ad suam patriam homines facilius

---

[1] II Cor., VIII, 9.

retinebuntur; non enim cum externa regione suam commutabunt quae vitae degendae tolerabilem det facultatem.

Graviter nunc monemus artifices catholicos ne consocientur collegiis quae disciplinam adhibeant non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam, quaeque, occupata efficiendorum operum universitate, agant ut qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. Sit ut norma inconcussa : « non modo fugere consociationes oportere Eccle-« siae iudicio aperte damnatas, sed eas etiam quae pruden-« tium virorum, maximeque Episcoporum, sententia suspectae periculosaeque habeantur [1].

Eos vero hortamur vehementer ut inter se vel cum heris catholicis, patrocinante Episcopo, sodalitia condant tum ad suppetias mutuo ferendas, tum ut se tueri queant adversus perniciosos coetus. Perspicuum est illas societates iure suo coalescere, ac per se non esse in potestate reipublicae, ne existant, prohibere.

Prudenti tamen temperatione constituantur. Potissimum ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad causam praecipuam spectandum est. Nisi enim sumptis a Deo principiis, societates degenerarent in aliam formam, nec multum discreparent ab eiusmodi collegiis in quibus nulla ratio religionis habetur. Postea haec lex generalis sanciatur, ita constitui opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent maxime expedita ad id quod singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur.

Facile nunc iter est ad stabiliendas sociorum rationes mutuas. Munia sodalitatis partiantur intelligenter in commu-

[1] Epistola *Longinqua Oceani*, 6 ian. 1895.

nem utilitatem, nec cuiquam fiat iniuria. Sodalitatis bona administrentur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus. Iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte conveniant. Si quis ex alterutro ordine violatum ulla re se putarit, nihil optandum magis quam adesse viros eiusdem corporis prudentes quorum arbitrio lites dirimantur ; providendumque ut copia operis numquam deficiat, utque vectigal suppeditet unde necessitati, infirmitati, senectuti aut infortunio cuipiam subveniatur.

« His legibus, si modo voluntate accipiantur, satis erit « tenuiorum commodis ac saluti consultum » [1].

DECRETUM IV

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS IN PAROCHIIS

Neminem fugit quanta proveniant bona ex spiritualibus illis exercitiis quae identidem in parochiis habentur. Tunc enim gratiarum *Dominus diluvium inhabitare facit* [2], innumeri peccatores convertuntur, tepidi inflammantur, et iustorum perseverantia firmatur. Propterea secundum Quebecense Concilium [3] parochos hortatur ut ea populo suo opportune tradenda

[1] Encycl. *Rerum novarum.*

[2] Ps. XXVIII, 10.

[3] Decr. XV.

curent. Ne autem frequentius aut rarius quam par est habeantur, mandamus ut sine consensu Ordinarii inter illa exercitia pro omnibus fidelibus non ponatur intervallum brevius quam quinquennium aut longius quam decennium, parochorum conscientiam super hoc onerantes. Horum vero locum non censeantur tenere *concursus*, ut vocant, confessariorum occasione alicuius festi aut novemdialis, qui singulis annis in quibusdam parochiis habentur, nisi infra decennium iis detur talis solemnitas,et praesertim talis duratio,ut spiritualium exercitiorum nomen mereantur iudicio Episcopi. Ut autem fructus suos producant, plura sunt servanda.

Maximi momenti est ut fideles tunc quam maximam libertatem et facilitatem habeant quemcumque maluerint adeundi confessarium.

Curandum igitur maximopere ut sufficientes numero praesto sint confessarii. Omnes, quantum fieri poterit, initio missionis adsint, nec ante finem discedant, nisi forte ad breve tempus propter urgentem necessitatem, v. g. administrandi sacramenta infirmis, aut officium dominicale peragendi in propria parochia. Poterunt parochi vicini hac occasione vesperas omittere ut citius ad locum missio peragitur reverti possint.

Ordinarii, pro modo et forma facultatum quas a Sancta Sede Apostolica obtinuerunt, delegabunt confessariis tempore et in loco missionis sacrum ministerium exercentibus, facultates tum ad absolvendum a reservatis, tum ad dispensationes, prout res postulaverit, poenitentibus impertiendas.

Illae autem facultates extendantur ad quindecim dies post peractam missionem, in gratiam infirmorum eiusdem parochiae, vel eorum qui in fine missionis convertuntur, aut a

confessione tempore missionis peragenda propter aliquam causam rationabilem fuerint impediti.

Licet missionum tempore poenitentes bene plerumque disponantur, tamen ministerium confessionis solito difficilius est, quapropter orationi instandum est, et maximopere cavendum tum a laxismo, tum a rigorismo.

Iuvabit plurimum pluribus hebdomadibus aut etiam mensibus antequam inchoetur missio, ut parochus populum de ea certiorem faciat, exponendo quanta esse soleant hoc tempore divinae largitatis beneficia; quas poenitentibus indulgentias largiatur Ecclesia, ut fides renovetur, et excitetur in omnibus spes et bona voluntas tantis perfruendi bonis ac misericordiam divinam consequendi.

Nec omittatur assidua et fervens supplicatio tum pastoris, tum ovium; invitentur omnes ad eleemosynas fundendas et opera pietatis exercenda, praesertim vero ad fugienda peccata, pravas consuetudines expugnandas et vitandas occasiones peccati.

Iuvabit etiam ecclesiam nonnihil ornare.

Confessionalia, superpellicea et stolae violaceae sint numero sufficientes.

Peracta missione, parochus instet orationi et praedicationi, ut omnes in bono proposito perseverent, ut relapsi in peccatum iterum assurgant et iusti iustificentur adhuc.

In parochiis ubi frequentior est populus, plures dentur successive missiones, v. g. solis viris et deinde mulieribus, vel iunioribus et deinde senioribus.

Hoc autem omnino fiat ubi diversae sunt linguae, ne adsit confusio tum in praedicatione, tum in confessionibus.

DECRETUM V

DE PIIS PEREGRINATIONIBUS

Publicae et piae peregrinationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda divina beneficia, Deoque gratias agendas, vel ad supernum auxilium implorandum, uti consuevit, cum magno religionis fructu his temporibus florescunt. Nobis itaque laetandum in Provincia Quebecensi non pauca extare sanctuaria ad quae fiunt illae piae peregrinationes. Etenim praeter antiquum et celebratissimum Sanctae Annae in loco *de Beaupré* sanctuarium, plures eminent populorum concursu ecclesiae, in quibus spiritualia et temporalia bona pii fideles a Deo consequuntur.

At vero, quum res etiam optimae in abusum vergere possint et aliquando reapse cedant, stricte in posterum inhibemus ne publicae peregrinationes ullae suscipiantur, quocumque titulo sive causa, nisi licentia in scriptis ab Ordinario data, qui, ea qua par est diligentia, tum causam, tum ordinem et modum in peregrinatione habenda approbet.

Volumus insuper, ut cuiuscunque sacrae peregrinationis ducem semper semet praebeat aliquis parochus, aliusve sacerdos idoneus a parocho subrogetur, quo certius facile irrepentes abusus in semine suffocentur, et peregrinantium devotio aptissimis dirigatur et augeatur patris spiritualis consiliis atque auxiliis.

Licentiam Ordinarii obtentam parocho aut rectori ecclesiae visitandae seu peregrinationis, opportuno tempore, notam faciet, et cum eo conveniet de die et hora sive accessus sive discessus, necnon de numero probabili peregrinantium et via itineris.

Nisi Ordinarius id expresse prohibuerit, dux sacrae peregrinationis, licentia episcopali munitus, sibi comites adiungat alios sacerdotes in Provincia approbatos, sine tamen praeiudicio officii parochialis, et eis communicet iurisdictionem praedicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eaedem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias dioeceses, vel locus peregrinationis in diversa dioecesi situs est. Valde optandum est ut omnes aut fere omnes peregrini absolvantur, antequam Sanctuarium ingrediantur.

Huiusmodi devotionis fructum ponderantes, mandamus ut peregrinationes istae maxima religione agantur. Parochi ergo in memoriam fidelium reducant salutares illas Concilii Mediolanensis IV praescriptiones. « Peregrinando omnia fugiant « quae devotionis studium perturbant aut impediunt, ut illa « amplectantur quibus illud excitari solet. .... Ad sacra loca « quae religiose visitaturi sunt, cum pervenerint, nihil aliud « sibi propositum habeant quam ut aut iubilaeum indulgen- « tiamve consequantur, aut vota sancta persolvant, sacras reli- « quias et sacra loca visitent, ab omni curiositate peccandive « occasione abstinentes. Itaque primo confessi quum sacram « Eucharistiam sumpserint, tum religiose statas Ecclesias san- « ctorum visitent, ita ut, ipsorum locorum admonitione, maior « affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, et Sancto-

« rum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuventur »[1].

Caeterum maxima sollicitudine praecavere studeant parochi ne dissipationes, cantiones ineptae, commessationes, aliaeve res minus convenientes agantur, quibus nedum fidelium pietas augeatur, impietati adversariorum nova calumniandi causa praebeatur. Quinimo peregrinantes, cum religioso apparatu, in orationibus, psalmis, hymnis, canticis, precatoriae coronae B. M. V. recitatione, rerum spiritualium meditationibus et sermonibus, ad sanctuaria deducant, proprio pietatis exemplo edoceant, et eodem modo, expletis piae devotionis exercitiis, ad propria reducere satagant.

Praesules ecclesiarum ad quas fideles devotionis causa frequentius confluunt, impense rogamus, ut peregrinantium saluti prospicientes, omnia et singula prudentissime disponant, quae ad augendum honorem locis sanctis debitum, et ad fidelium aedificationem conferre in Domino iudicaverint. Quidquid superstitionem redolet, caute abrogent; quidquid turpis quaestus suspicionem movere possit, sedulo eliminent; ne probatorum desit copia confessariorum, sollicito fervore provideant.

Fideles ad haec gratiarum loca profecturos paterne monemus, ut hac ipsa occasione dignos facere fructus poenitentiae contendant, et devota sacramentorum susceptione confortati iugiter ad Deum peregrinari mereantur.

Tandem et reduces, quae audierint et viderint cum omni modestia et discretione referant, et qui suavius aspirarunt bonum odorem Christi suis fratribus communicent, ita ut crescat et augeatur in mente piorum huiusmodi peregrinationum fama et utilitas.

[1] De religiosis peregrinat.

DECRETUM VI

DE PIIS CONFRATERNITATIBUS.

Innumeris malis quae ex nefariis periculosisque societatibus misera hac nostra aetate enascuntur, aptissimum videtur esse remedium fovere ac promovere pias illas Consociationes seu Confraternitates, quae pietati conservandae vel augendae directe conducunt.

Fideles porro his sodalitatibus adscripti multiplicia ad propriam spiritualem perfectionem consequendam praesto habebunt auxilia, iusti ut iustificentur adhuc, tepidi ut ferventiorum exemplo excitati discant disciplinam. Quanta vero vi polleat communis confratrum oratio in piis sodalitiorum conventibus, in aperto est ex ipsius Christi verbis : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [1].

Inter Confraternitates vero, principem locum obtinere debent :

a) Quae ad augustissimum Eucharistiae mysterium, et ad sacratissimum Cor Domini Nostri Iesu Christi eiusdemque Salvatoris vitae mysteria referuntur : deinceps successivo ordine :

b) Quae in honorem Beatissimae Virginis Mariae erectae sunt :

---

[1] Matth., XVIII, 20.

c) Quae honorem Sancti Ioseph, Beatae Virginis sponsi, augendi finem habent. « Quo etenim se placabiliorem ad « preces impertiat Deus, pluribusque deprecatoribus, Eccle- « siae suae celerius ac prolixius opituletur, magnopere hoc « arbitratur expedire, ut una cum Virgine Deipara castissimum « eius sponsum Beatum Iosephum implorare populus christia- « nus praecipua pietate et fidenti animo insuescat. Est enim « consentaneum, et beato Iosepho apprime dignum, ut sicut « ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usu- « venit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coele- « sti Ecclesiam Christi tegat ac defendat »[1].

d) Sodalitates in honorem Sanctorum conditae, et sanctorum Angelorum, maxime vero Custodum; quam devotionem studiose omnibus inculcant Patres.

e) Societates etiam illas provehendas suademus vehementer, quae piis aliis exercitationibus sibi propriis, externum quoddam religionis vel charitatis opus addunt prosequendum: ut ex. gr. Sanctissimi Sacramenti adorationem a sodalibus per vices praestandam occasione solemniorum expositionum; missae parochialis, vesperarum aut catechismi frequentiam; infirmorum visitationem, et alia id genus, quae si christiano spiritu peragantur, summam proximis aedificationem praebent, et validum pastoribus praestant auxilium. Iis sodalitatibus valde sunt affines Institutio quae a *S. Francisco Salesio* nomen accepit, et a cuius actuosa beneficentia tot ac tanta bona in rem catholicam, imo et civilem, apud nos iam derivata sunt, celeberrimaque Consociatio a *Propagatione Fidei* nuncupata, quam

---

[1] Encycl. *Quamquam pluries*, 15 aug. 1889.

ab eius origine Romani Pontifices luculentis laudum testimoniis honestarunt et ditissimis privilegiis auxerunt, ac amplian-dam Leo XIII, fel. reg. in Literis Encyclicis *Sancta Dei civitas* [1] iterum episcopos ardenter commonuit.

Memores volumus esse pastores « iuvenum incolumitati per-« bene fore consultum, si ex iis conflatae fuerint societates, « quae a Beatissima Virgine aliove coelesti patrono nomen « sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praeser-« tim iis praeficiantur sacerdotes laicique homines sapientia « et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument vir-« tutibus colendis, et religioni, aperto ore, contemptis impi-« orum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere « quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit » [2].

Ut autem in re tanti momenti, omnia rite et secundum ordinem fiant, haec, regulae generalis instar, circa sodalitatum institutionem et moderamen notanda censuimus :

a) Generaliter loquendo, anteponere praestat antiquiores sodalitates, quas frugiferas esse animarum saluti diuturnae aetatis experientia comprobaverit, et quas Sanctae Sedis testimonium commendaverit ;

b) Non sine delectu in paroeciis instituantur sodalitates perpensis populorum necessitatibus et ingenio, diversisque locorum ac temporum circumstantiis :

c) Sodalitatem parochus non instituat, nisi prius diligenter inquisierit de adimplendis in ea operibus, cum a sodalibus,

[1] 3 decemb. 1880.

[2] Instructio S. Rom. et Univ. Inquisit., *De secta massonum*, 10 maii 1884.

ut omnem fructum reportent qui exinde expectatur, tum a seipso tamquam sodalitatis moderatore. Quo in loco commemorandum censemus inscriptionem sodalium in albo societatis, si agatur de Confraternitatibus proprie dictis, essentialiter requiri [1] pro validitate cooptationis, adnexisque privilegiis atque indulgentiis acquirendis, quinquid quam contra valeat neque bona fides, neque communis error, neque inveteratus usus, neque huiusmodi alia.

d) « Novae secietates non instituantur, si veteres sufficiant. « Si enim facilius aures praebeantur novitati, veteres societa-« tes certo periclitabuntur; novarum sucessus anceps erit. [2]

e) Sacerdos novam ne instituat societatem nisi de consensu Ordinarii et cum literis testimonialibus eiusdem. Similiter gratiae et indulgentiae confraternitati a quibusvis archiconfraternitatibus aut regularium Ordinum Generalibus communicatae, praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.

f) Meminerint parochi « prudentissime fuisse constitutum « quod statuta confraternitatum erigendarum vel aggreganda-« rum debeant antea ab episcopo dioecesano ad exa« men revocari ac pro ratione loci approbari, et eius-« dem moderationi et correctioni semper subiecta perma-« nere, ut nempe a statutis iisdem expungi valeat...... aut adiici « quod appareat opportunum » [3]. Haec vero de statutis a Sancta Sede non firmatis intelligantur.

Demum, « ut ad pias sodalitates fideles alliciantur, exteriora

[1] Decr. S. Ind. Cong., 16 iul. 1887.

[2] Conc. Plen. Balt. II., n. 431

[3] Panici, apud Beringer, II, 13, not. 3.

« adhibeantur media oportet; celebrentur scilicet earum festi « dies speciali cum solemnitate; appositae illis fiant instructio- « nes; in processionibus, et aliis Ecclesiae caeremoniis, quan- « tum per rubricas liceat, locus proprius illis detur; omnis « tandem honoris illis deferendi occasio arripiatur. Sic enim iis « dilatatis, bona obvenient quamplurima, magno vero adiu- « mento pastoribus animarum piae illae sodalitates erunt »[1].

DECRETUM VII

DE SANCTISSIMAE FAMILIAE DEVOTIONE PROPAGANDA

Ut Christianorum morum demutationi et corruptelae, restincto in familiis religionis et pietatis amori, accensisque supra modum rerum terrestrium cupiditatibus salutifero remedio occurreret, Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII editis Apostolicis Literis providentissime statuit ut Consociatio in honorem Sanctae Familiae constabiliretur. Etenim nihil « magis salu- « tare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo « Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque com- « plectitur omnium virtutum christianarum »[2].

Cui quidem paternae Summi Pontificis sollicitudini eo liben-

---

[1] Conc. Plen. Balt. II, n. 482.

[2] Breve *Neminem fugit.*

tius obsequimur nos, quod nihil antiquius inde a suis exordiis genti Canadensi fuerit quam ut Sacram Familiam ardenti pietatis affectu coleret. Compertum sane est quanta religione insula et civitas Marianopolitana a p[illegible]arissimo presbytero Olier, Instituti S. Sulpitii fundatore, [illegible]crae huic Familiae fuerit dedicata ; nullumque praeterit quot incrementa in dies susceperit sancta eiusmodi devotio, sive Patrum Societatis Iesu, nominatim PP. Pijard et Chaumonot indefesso labore, sive Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois incensis hortationibus et exemplis, et maxime quam mirum in modum provida et ferventi opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval, primi Quebecensis Episcopi, per totam regionem floruerit.

Salutis autem fructus, quos nostrae regioni haec devotio superioribus temporibus attulit, uberiores laetioresque evasuros confidimus per hanc universalem Consociationem tam impense a Summo Pontifice commendatam, cuius praeclarus finis in praefatis Literis nobis indicatur his verbis :

« Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto « cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram « imagine Sacrae Familiae, decreta pietatis officia praestare ; « providere, opitulante Sacra Familia, ut inter se colligatis « fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque « hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. »

Floreat igitur haec pia Consociatio, quum sodalium numero tum etiam operum laude ; augeatur in dies, et per omnes populos propagetur ! Sit sanatio malorum quae nos premunt ; sit depulsio periculorum quae metuuntur ! Inter domesticos parietes propitii adsint ubique Iesus, Maria et Ioseph ; caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui ; et

quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores [1]!

Ut autem facilius fides, pietas et omnis christiana laus in familiis revirescant, Nos volentes laudatam Consociationem inter Fideles secundum ipsius germanum spiritum promoveri, haec statuimus et decernimus observanda:

a) In unaquaque parochiali ecclesia Provinciae Marianopolitanae, sub respectivi parochi regimine, ad tramitem Apostolici Brevis *Neminem fugit*, christianarum familiarum consociatio habeatur [2].

b) Omnia Seminaria et Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae omnes semet Sacrae Familiae consecrent.

c) Instituatur Consociatio cum omni qua par est solemnitate.

d) In altero e minoribus altaribus ecclesiarum omnium parochialium, ad devotionem in Iesum, Mariam et Ioseph inter fideles fovendam, Sacrae Familiae imago publicae venerationi exponatur [3].

e) Curent parochi familias quamplurimas inducere, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, ut piae huic consociationi dent nomen. Occasione arrepta annualis visitationis parochiae, conentur pastores ad consociationem trahere familias nondum adscriptas.

f) Iidem parochi sermonem interdum de pia consociatione

---

[1] Ex Brevibus *Neminem fugit* et *Quum nuper*.

[2] Lit. card. A. Masella, S. Rit. Cong. Praef., 2 iul. 1892.

[3] Litt. card. L. M. Parocchi, archis. Praesid., 14 febr. 1893.

ad oves suas habeant, ipsius beneficia et munera in earum memoriam revocantes.

g) Quum soleant homines praemio maxime permoveri, indulgentiae et praesertim plenariae, proximis festis lucrandae, semper praenuntientur.

h) Quotannis, una saltem vice maximeque solemni constituto die in honorem Sacrae Familiae, ritus consecrationis familiarum omnium a parochialibus moderatoribus renovetur.

i) Denique, ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve eiusdem spiritus immutetur, in omnibus et singulis serventur REGULAE ab Eminentissimo Cardinali Consociationis Praeside die 8 ianuarii 1893, promulgatae.

DECRETUM VIII

DE SACRATISSIMI ROSARII DEVOTIONE

« Praecipuum semper ac solemne fuit in trepidis rebus dubi- « isque temporibus ad Mariam confugere »[1]; « si quid enim « spei nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare »[2].

Quare SS. D. N. Leo PP. XIII, quum « modis omnibus

[1] Vide Encycl. *Supremi Apostolatus.*

[2] S. Bern.

Ecclesiae iura tueri, et quae vel impendent, vel circumstant pericula antevertere et propulsare conaretur, voluit ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus, Marialis *Rosarii* preces singulari studio toto orbe catholico adhiberentur; et non modo universos christianos enixe hortatus est ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studerent, et non intermissa consuetudine usurparent, sed etiam integrum octobrem mensem coelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse voluit »[1].

Quanta vero bona obtinuerit Ecclesia per constantes has unanimesque preces, nemo est qui non videt !

Nos ergo Supremi Pastoris voci cordisque consiliis attendentes, omnes animarum pastores enixe hortamur, ut quantum ipsis curae est et Mariae honor et societatis humanae salus, tantum studeant populorum in magnam Virginem alere pietatem, augere fiduciam.

Decernimus ergo et mandamus, ut adamussim adimpleantur omnia quae in Literis Pontificiis praescribuntur circa solemnia Deiparae a Rosario, decurrente octobri mense.

Saepe pastores hortentur fideles ut quotidie in familia recitetur Rosarii tertia pars ; ut etiam nomen dent sodalitatibus a Rosario Virginis.

Fructuosum modum peragendi hoc pium officium doceant, exponendo et evolvendo nostrae reparationis diversa mysteria quae pia meditatione recolenda sunt.

In ipsa recitatione Rosarii sive publica sive privata singulae decadi brevibus verbis praemittatur annuntiatio singulorum

[1] Vide Encycl. *Supremi Apost.*

mysteriorum ; quod possit fieri iuxta formam propositam in libro *Recueil d'œuvres pies :* quae forma Romae adhibetur.

Simus *perseverantes unanimiter in oratione cum.... Maria Matre Iesu* [1].

DECRETUM IX

DE TOTIUS PROVINCIAE SACRATISSIMO CORDI IESU CONSECRATIONE

In charitate perpetua dilexit nos Christus, ideo attraxit nos miserans. *Et nos cognovimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est ; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* [2]. Cuius quidem aeternae et nimiae charitatis symbolum existit in Sacratissimo illo Corde quod in cruce lancea apertum est, « quatenus, ut ait S. Bonaventura, « sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae « salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim « daret Sacramentis Ecclesiae ad vitam gratiae conferendam, « essetque iam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salien- « tis in vitam aeternam ».

O Cor sacratissimum et amantissimum ! Trahe nos ad te, ut redamemus toto corde, tota anima, totis viribus. Per te nobis pateat via *ad thronum gratiae : ut misericordiam consequa-*

---

[1] Act., I, 14.

[2] I Ioan., IV, 16.

mur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno [1]. In charitate perpetua dilexisti nos ; in praesepio, in vita, in ultima coena, in cruce immensa charitas urgebat te ; nunc ad Patrem reversus, semper vivis ad interpellandum pro ovibus quas pretioso sanguine redemisti. Miserere nostri : ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris ; miserere famulo tuo Pontifici nostro, conserva eum, vivifica, beatum fac et non tradas in animam inimicorum eius. Nos et oves nobis creditas, totam hanc Provinciam, tibi devovere et consecrare decrevimus, atque hoc nostro solemni decreto nunc devovemus ac in perpetuum consecramus, ut sis omnibus salus, vita et resurrectio ; per te iusti iustificentur adhuc et in finem perseverent ; peccatores convertantur ; tepidi exardescant ; mala omnia fugiant, bona cuncta concedantur. Sit fides viva, spes firma, charitas perfecta in hoc mundo, ut cursu consummato immarcescibilem gloriae coronam percipiamus cum sanctis tuis !

Mandamus omnibus et singulis animarum curam habentibus ut die ab Ordinario praefigenda, coram Sanctissimo Sacramento ad genua provoluti, Sacratissimo Cordi Iesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient.

---

[1] Hebr., IV, 16.

DECRETUM X

DE SANCTISSIMO NOMINE MARIAE

Nos Archiepiscopus et Episcopi huius Provinciae quae Mariae Nomine decoratur, in hac adunati civitate, quae eodem venerabili gloriatur Nomine, ubi antiquissima regionis Canadensis Ecclesia eiusdem benedicti Nominis laudi erecta extat, ad populum fidelem sollicitudini nostrae commissum mentem animumque convertentes, coelestis Matris praeconia praeterire non possumus, cuius in nos beneficia tanta fuerunt. Ipsa enim, ut historiae monumentis narratur, in Marianopolitanam coloniam stabiliter condendam animos impulit, ipsa fundatorum operam rexit, eorumque plures peculiarissima cura in suum patrocinium suscepit. Quam gratum vero animum pii urbis Marianopolitanae conditores in Eam gererent, praeclaro testimonio comprobarunt, quum auspicatissima die secunda februarii anni 1662, Parisiis congregati, per ministerium inclyti Servi Dei Iacobi Olier, Virgini Deiparae insulae nostrae dominium obtulerunt, ita faustum eventum Summo Pontifici Urbano VIII per literas significantes : Insulam hanc quam Societas (Marianopolitana) iure possidebat propriam fecit Immaculatae Deiparae, omniumque in insula habitantium Mariam Matrem et dominam voluit.

Merito ergo Metropolis haec Mariae civitas dicitur. Ipsius quippe Divinae Matris instinctu a suis fundatoribus erecta,

eiusque tutelae commissa ac Nomine consecrata, ut fidei catholicae veluti propugnaculum in iis regionibus esset, maternam Eius protectionem, sive contra spiritualia nequitiae, sive contra hostiles incursus, omni tempore sensit.

Nec coelestis Patronae benignis in eos consiliis prisci illi Marianopolitani coloni defuerunt, qui christiana disciplina moribus sanctissime compositis primaevae Ecclesiae fideles aemulari visi sunt ; digni sane ex quibus prodirent insignes illi apostolici viri, qui Borealis Americae regiones a Terra Nova ad insulam Vancouverii, a finitimis polo plagis ad aestuosas Floridae oras late peragrantes, Evangelii lumine collustrarunt.

Ad haec patrum exempla degenerem hanc aetatem revocamus, ut iterum per Mariam ad Christum accedat, docente Summo Pontifice Leone XIII ; « In hoc positam malorum « sal[illegible] esse, ut mutatis consiliis, et privatim et publice « rem[illegible] ad Iesum Christum, christianamque vivendi « viam » [1].

In hac erga tanta qua iactamur humanarum cupiditatum procella, respiciamus stellam, Mariam invocemus, Eique cum Patribus Concilii Queb. II clamemus :

« O Domina Nostra, Sancta Maria, Ecclesiae Dei decus et « firmissimum praesidium, Apostolorum regina et mater... Tibi « nosmetipsos et omnia nostra plenissime dicamus et consecramus ; Tibi carissimas oves nostras omnes ex intimo cordis « affectu commendamus ; nullam earum perire sinas, o Mater « piissima, quas nobis divinus ille pastor Filius Tuus Iesus dedit

[1] Encycl. *Exeunte iam anno.*

« pascendas. Nos cultum Tuum et Tui amorem, pro viribus « dilataturos et in omnium cordibus promoturos spondemus ». Totam hanc Provinciam nostram quae, tamquam matrem benignissimam et spem maximam, Te celebrat, sub tutela Nominis Tui gloriosissimi et amantissimi custodi. Tu vero, o mater piissima, ora pro populo, interveni pro clero : sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant Tui sanctissimi Nominis virtutem et gloriam.

TITULUS XII

DE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIAE

DECRETUM I

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIARUM

Res Ecclesiae, utpote praecipue propter cultum divinum Ecclesiae donatas, esse Deo peculiari modo dicatas, proindeque sub potestate et iurisdictione Ecclesiae omnino constitutas, declarant plurimae Summorum Pontificum Constitutiones et innumera Concilia.

Curent ergo sedulo parochi, aliique quibus competit sacerdotes, ut bona temporalia Ecclesiarum suarum recte administrentur.

Provideant, pro viribus, ut fabricarum suarum regimini non proponantur, nisi viri selecti, probatae religionis, et huic officio idonei.

Intelligant isti administratores se tamquam procuratores Ecclesiae constitutos esse, seque ab eadem tenere ius administrandi bona dictarum fabricarum. Sedulam dent operam ut, iuxta iniunctum sibi munus, ea bona fideliter servent, ac ne quid de ipsis distrahatur vel depereat. Meminerint sibi non

licere dicta bona, tam mobilia quam immobilia, donare, vendere, permutare, vel alio quocumque modo alienare, aut in mutuum dare, vel in emphyteusim tradere, vel sub hypotheca obligare, nisi in casibus a iure permissis, inconsulto Episcopo et sine expressa eiusdem licentia. Caveant etiam ne, absque eadem licentia, pecunias aliave fabricarum bona in alios usus impendant, quam ad quos, iure aut consuetudine, destinantur.

Rationum et deliberationum libri sint adamussim exarati et legitimis muniti chirographis. Redditus accurate percipiantur. Accepti et expensi ratio (*comptes*) quotannis accurate exhibeatur.

Invigilent continuo ecclesiarum rectores ne instrumenta, quae spectant ad bona sive mobilia, sive immobilia, perimantur aut pereant, sed ut sarta tecta serventur.

Thesaurarii officio non fungatur parochus, ne sacri ministerii honor et independentia laedantur.

Ne parochi et ecclesiarum rectores apud fideles sibi commissos aut in suspicionem veniant, aut male audiant, iura sua ab ecclesiarum suarum iuribus apprime distinguant, nec taxam (*tarif*) pro functionibus ecclesiasticis immutent, nisi approbante Episcopo, neque alia sibi attribuant, quam quae ipsis vel lege dioecesana, vel probata consuetudine, competunt.

Nulla aedificetur ecclesia, nisi situs, schema, ornamentaque fuerint ab Episcopo probata.

Nulla in aedibus sacris fiat alicuius momenti refectio, nulla mutatio formae, cuius opportunitas non fuerit episcopali auctoritate sancita.

DECRETUM II

DE DECIMIS

Cum in multorum animos irrepserit error decimas et alia debita quae Ecclesiae aut iis solvuntur ministris quibus ea attribuit Ecclesia ad se sustentandos et ad obeunda munia erga fideles quorum ipsis spiritualis demandata est cura, vi legis civilis solummodo solvi, ac obligationem ea solvendi nullo ex alio fonte oriri; ut istius modi error omnino corrigatur ac penitus amoveatur, opportunum declarare et statuere decernimus, sicut et per praesens decretum declaramus ac statuimus, hanc obligationem specialiter derivari ac oriri ex ea lege aut iis legibus quas condidit aut condere potest et poterit Ecclesia, independenter a civili et etiam absente civili lege: et ad cuiusvis dioecesis Episcopum pertinere legem aut leges circa hanc materiam fidelibus imponere, prouti necessitas, attentis locorum et personarum adiunctis, postulaverit.

Quapropter, sive vigeat sive non vigeat in aliquo loco civilis decimarum lex, si Episcopo iustum videatur mandare ac praecipere, ut fideles iuxta eam quam ipse, aequo moderamine adhibito, statuerit taxam, decimas sacerdoti solvant, cui sub quocumque titulo onus religionis ac salutis ministerium ipsis praestandi incumbit, haud dubium esse potest, quin unusquisque eius loci fidelis eam taxam in conscientia et ex iustitia

solvere teneatur, ac renuens poenis debitis pro casus gravitate mulctari queat.

Quod de obligatione omnibus fidelibus incumbente pastoribus providendi, idem tenendum de templorum aut ecclesiarum aedificatione et reparatione, in quantum respicit fidelium conscientiam.

DECRETUM III

DE QUARTA FUNERALI

Ut iura parochorum collocentur in tuto, nec iusta fidelium libertas plus aequo contrahatur, statuerunt Patres ut quoties exequiae cum missa praesente corpore in aliena celebrentur ecclesia, etiam regularium, ad parochum et ad fabricam propriae ecclesiae respective solvatur a parocho vel rectore et a fabrica vel ecclesia ubi exequiae peraguntur quarta pars quorumcumque emolumentorum funeralium, deductis tamen impensis, necnon firmo manente privilegio congregationum religiosarum erga suorum sodalium vel familiarium funera. Et sicubi forsan aliquid speciali pacto componendum erit, prudenti dirimetur episcopi iudicio.

DECRETUM IV

DE FABRICARUM CONSUETUDINIBUS ET PAROCHIALIBUS CONCILIIS

Leges quibus fabricae reguntur cum a consuetudine profectae, in sola consuetudine fere omnes nitantur, magni interest ut quemadmodum in multis aliis rebus, ita in hac speciatim re nihil de consuetudine derogetur. Quapropter hoc decreto vetamus ne quis ecclesiae rector unquam discedat de probatis dioecesis aut suae ipsius fabricae consuetudinibus, nisi praemonito Ordinario eoque assentiente.

Praeterea, quod attinet ad parochianorum publicos conventus qui *Parochiae concilia* dicuntur, quum experientia doceat non pauca inde incommoda facile promanare, vetamus ne quis ecclesiae rector huiusmodi concilia advocet aut habeat sine permissu Ordinarii, praeter ea concilia quae propriis legibus statuuntur : quin imo haec eadem semper celebrari cupimus praemissa Episcopi licentia, ita ut inolescat consuetudo generalis quae cursu temporis vim legis obtineat.

DECRETUM V

DE USU DOMUS PAROCHIALIS ET USUFRUCTU FUNDI BENEFICIO CURIALI ADNEXI

Parocho non competit dominium parochialis domus, imo nec usufructus proprie dictus, sed potius ius ad usum. Unde tenetur non solum advigilare ne ipsa domus et accessoria aedificia detrimentum ex sua vel suorum culpa patiantur, sed etiam illa reficere propriis expensis debet pro parte quae ipsi ex lege vel consuetudine incumbit, ac providere ut ceterae reparationes sumptibus fabricae vel parochiae, obtenta prius Ordinarii approbatione, opportune fiant.

Ubi fundus parochiali domui adnexus est, parochus ius habet ex eo, iuxta receptas de usufructu regulas, commodum percipiendi, excepto quod arbores in silviculis nonnisi ad proprium usum caedere possit.

Supradictae de usufructu regulae ex iustitia stricta servandae sunt, quandocumque agitur de mutandis, quoad formam, usum vel ornamenta, diversis aedium, hortorum vel agrorum partibus.

Si parochus rem propria pecunia vel industria in meliorem statum adduxerit, censebitur id gratuito praestitisse, nisi Ordinarius, simul cum permissione opus peragendi, scripto concesserit ipsi ius repetendi summam incremento valoris aequivalentem.

TITULUS XIII

DE FORO ECCLESIASTICO ET DE OFFICIALITATIBUS

DECRETUM I

DE FORO ECCLESIASTICO ET DE OFFICIALITATIBUS

Iure divino, nempe institutione Christi, Episcopi potestatem iudiciariam habent sibi propriam, quam vel per se, vel per Vicarium aut alium quemcumque ad nutum revocabilem, in eis quae fidem, sacramenta, sacras functiones nec non officia et iura sacro ministerio adnexa respiciunt, exercere possunt.

Contra delinquentes clericos possunt quibusdam in casibus Episcopi procedere, ut ait Tridentina Synodus, « extraiudicialiter »[1], aut « sine strepitu et figura iudicii, et sola facti « veritate inspecta[2]. » Attamen regulariter clericorum delicta ad officialitates seu tribunalia ecclesiastica sunt remittenda.

Quapropter, in quantum possibile fuerit, in unaquaque

[1] Sess. XIV, cap. I, *De Reform.*

[2] Sess. XXV, cap. XIV, *De Reform.*

dioecesi constituatur tribunal ecclesiasticum seu Officialitas, constans officiali, quatuor assessoribus, promotore, vice-promotore, necnon cancellario et vice-cancellario, qui omnes ab Ordinario designentur et sint ad nutum revocabiles.

Quandocumque clericus in sacris vel sacerdos de aliquo crimine accusatus fuerit, nisi agatur de casu in quo Ordinarius secundum Canonem possit et ipse velit procedere sola facti veritate inspecta, vel nisi ipse reus maluerit paterna eius iurisdictione rem terminari, accusatio a promotore vel vice-promotore coram officiali proponatur.

Officialis suos sibi assessores assumat ex quatuor nominatis, et, citato reo, causam audiat et dirimat, saltem summarie procedendo ita ut veritas pateat. Ubi necessarium fuerit propter locorum distantiam et ad vitandas expensas, potest officialis, de assensu saltem unius ex assessoribus in causa, aliquem virum ecclesiasticum delegare qui loca visitet et testes audiat, servatis servandis, et relationem faciat. Idem praestare poterit ipse officialis per seipsum, vel per unum ex assessoribus.

Causa in prima instantia dirempta censeatur, si unus saltem ex assessoribus cum officiali consenserit. Si vero uterque assessor ab officiali dissentiat, nulla sententia proferatur, sed res ad Ordinarium deferatur.

Episcopale tribunal, in causis criminalibus, constabit saltem duobus assessoribus ecclesiasticis ab Episcopo selectis, cum Episcopo ipso vel Vicario Generali.

A sententia in his causis ab Episcopo lata, ad tribunal laicale appellatio quaelibet est omnino irrita ac reprobanda, necnon appellatio quae dicitur *ab abusu*, scilicet cum quis, sub eo praetextu quod Episcopus iudicando sua potestate abusus

sit, ad iudices saeculares confugiat. Sic appellantes, (positis ponendis) in excommunicationem maiorem speciali modo Pontifici Romano reservatam ipso facto incidunt. [1]

His et in similibus casibus, si quis gravatum ab ecclesiasticis iudicibus se existimet, appellatio eius intra decem dies utiles pateat, iuris ordine servato, ad Metropolitanum vel ad Sanctam Sedem. Appellatio a sententia Officialitatis fieri non potest ad Ordinarium qui censetur ipse iudicasse per suum officialem.

De expensis incurrendis tum in prima, tum in ulterioribus instantiis, haec sunt tenenda :

a) Ubi res agitur pro bono religionis et cleri honore, ipse promotor, de assensu Ordinarii, causam nomine publico suscipiat, et expensae ferendae erunt a Curia, si causa ceciderit.

b) Si accusator in proprium commodum egerit, cautionem in forma legali dare debebit in favorem officialis pro solvendis expensis, ad quas damnandus erit si accusationem probare non potuerit.

c) Si accusatus se reum esse negaverit, similem cautionem dare teneatur pro casu quo causa ceciderit.

---

[1] Pii IX Const. *Apostolicae Sedis.*

DECRETUM II

DE IMMUNITATIBUS ECCLESIASTICIS

Quum lites sicut et bella ex concupiscentiis, iuxta sancti Iacobi verba oriantur [1], et non nisi gravi fidelium scandalo clerici ad civilia tribunalia trahantur, illas, ut fieri potest, ipsi clerici devitent, sed quantum in se est, apud episcopum rem componendi viam laicis aperire satagant. Quod si ad litem omnino deveniendum est, sciant sacerdotes non ipsis licere ad tribunal civile rem deferre, nisi prius accesserit in scriptis Episcopi venia, etiam si agatur de ecclesiae suae reditibus.

Ipsi autem laici tenentur singuli a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint, eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopum autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Sanctae Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint [2].

---

[1] Cap. IV, 1.

[2] S. Congr. S. Off., 23 ian. 1886.

TITULUS XIV

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

DECRETUM I

DE SEPULTURA ET COEMETERIIS

Iuxta leges canonicas, corpora fidelium sepelienda sunt ministerio sacerdotis, Ecclesiae preces et ritus adhibentis.

Fideles igitur de hoc ultimo et iusto pietatis erga suos officio provideant.

Parochi vero curent ut cuncta fiant iuxta ordinem praescriptum, et omnes ceremoniae et preces, quibus sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum exequiis uti solet, religiose serventur ad normam Ritualis Romani.

Coemeteria debent episcopi, vel presbyteri rite deputati, benedictione sanctificare.

Sint, ad normam sacrorum canonum, clausa; nullis usibus profanis pateant.

Distinctus in eis assignetur locus non benedictus, sed muro, aut sepe, aut effossione, a parte benedicta separatus, eis destinatus qui, de iure, sepultura ecclesiastica privantur.

DECRETUM II

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA DENEGANDA VEL NON, PROPTER OMISSIONEM COMMUNIONIS PASCHALIS

Cum iuxta Rituale Romanum, deneganda sit ecclesiastica sepultura iis de quibus publice constat quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt, haec autem poena non incurratur ipso facto, sed requirat declarationem episcopi [1], pro nostra Provincia approbamus sapientes regulas de hac materia a Concilio Baltimorensi anno 1791 statutas, paucis immutatis :

Pastor, si quando contigerit quempiam e vivis decedere sine ulla poenitentiae significatione, qui tam salutari praecepto (nempe communionis paschalis) morem non gesserit, nihil temere statuat de sepultura christiana ipsi danda vel deneganda, quoniam verba Concilii (Lateranen. IV) important sententiam non latam, sed ferendam : verum Episcopi, vel Vicarii generalis iudicium, si fieri potest, expectetur.

Quando autem, propter moralem impossibilitatem consulendi Episcopum, id fieri non potest, consideret secum prudens pastor :

---

[1] S. Cong. Episc., 14 iunii 1595.

1. An mortuus, per aliquot annos, an autem uno tantum, vel altero, a mensa eucharistica se abstinuerit;

2. An id fecerit cum magna contumacia, et quasi contemptu Ecclesiae;

3. An illius mores aliunde fuerint notorie depravati et mali exempli; quod si haec concurrunt, potestatem facimus sacerdotibus qui animarum curam agunt, et ad Nos, vel ad Vicarium generalem, recurrere non possunt, omnia prius aestimando in charitate et visceribus misericordiae erga vivos et defunctum, procedendi iuxta tenorem Concilii Lateranensis, si ita ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem profuturum iudicaverint.

Monemus autem ut nunquam non reminiscantur velle Ecclesiam hac salutari disciplina viventes potius in officio continere, quam punire mortuos, pro quibus preces continuo offert, omnes fideles defunctos divinae misericordiae commendando.

S. Poenitentiaria ad dubia proposita circa sepulturam ecclesiasticam die 20 martii 1885, sequentem resolutionem edidit:

« Sancimus idcirco quod si publici excommunicati, et « publici peccatores nondum Ecclesiae conciliati sed cum « signis resipiscentiae decesserint, donentur quidem, hisce « signis evulgatis, ecclesiastica sepultura, sed absque pompis et « solemnitatibus exequiarum ».

TITULUS ULTIMUS

DECRETUM I

DE PUBLICATIONE DECRETORUM HUIUS SYNODI PROVINCIALIS

Omnia et singula quae a Nobis in hac prima Provinciali Synodo Marianopolitana decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac iudicio Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris ac magistrae, revisenda et recognoscenda subiicimus.

Quapropter istius Synodi decreta nemo prelo subiiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, iuxta Constitutionem Sixti V, quae incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Literis autem quibus illa firmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis huiusce Provinciae, vel in Synodo dioecesana, vel, si celebrari nequeat, extra Synodum, quamprimum promulgentur.

DECRETUM II

DE INDICTIONE FUTURI CONCILII PROVINCIALIS

Cum Sacrosanctae Tridentinae Synodi decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia Provincialia, ut Ecclesiae menti obsequamur, Nos, Eduardus Carolus Fabre, Archiepiscopus Marianopolitanus, de consensu et consilio Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium huius Provinciae anno millesimo octingentesimo nonagesimo octavo celebrandum, loco et tempore ulterius indicendis, iam denuntiamus et indicimus omnibus qui praesentes adesse debent.

DECRETUM III

DE FINE CONCILII

Cum placuerit omnibus Patribus huius Concilii finem fieri, Nos, Eduardus Carolus Fabre, Archiepiscopus Marianopolitanus, Provinciali Concilio finem facimus, et iam nunc factum esse decernimus.

DECRETUM IV

DE SUBSCRIPTIONE

Nos, Eduardus Carolus Fabre, Archiepiscopus Marianopolitanus, admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo iure intersunt et interfuerunt, ut post Nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et eis quae in hac Synodo decreta sunt subscribant.

✠ Ego EDUARDUS CAR., Archiepiscopus Marianopolitanus et Metropolita Provinciae Marianopolitanae, definiens subscripsi.

✠ Ego L. Z., Episc. S. Hyacinthi, definiens subscripsi.

✠ Ego IOSEPHUS MEDARDUS, Episcopus Campivallensis, definiens subscripsi.

✠ Ego PAULUS, Episc. Sherbrookiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego MAXIMUS, Episc. titularis Druzipara et Coadiutor Rmi Ep. S. Hyacinthi, subscripsi.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRO DECRETORUM APPROBATIONE

Quum sacrorum Antistites provinciae ecclesiasticae Marianopolitanae in Canada in Provincialem Synodum anno 1895 convenissent, plura eaque providissima decreta consciverunt, quibus ecclesiastica disciplina novo illic vigore floreret, maioraque catholicae religionis incrementa promoverentur. Quae porro Decreta ad Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propagando examinanda et recognoscenda transmissa, expensa primitus in Plenaria Congregatione diei 19 iulii 1897 fuerunt ; novoque postea subiecta sunt examini in Generalibus Comitiis diei 4 superioris mensis februarii : atque Emi sacri huius Concilii Patres censuerunt eadem Decreta, modificationibus inductis quae in adnexo exemplari exhibentur, esse recognoscenda. Quam Emorum Patrum sententiam SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatam ab infrascripto ejusdem S. Congnis Secretario in audientia diei 5 superioris martii, Sanctitas Sua benigne adprobavit, ratamque habuit, ac praesens ea super re Decretum confici mandavit.

Datum Romae ex aedibus S. Congnis de Propaganda Fide, hac die 4 maii 1901.

A. Card. Ledochowski.

(L. † S.) Aloisius Veccia, *Secrius.*

APPENDICES

AD

CONCILIUM PROVINCIALE MARIANOPOLITANUM

PRIMUM

APPENDICES

AD

Concilium Provinciale Marianopolitanum

PRIMUM

I

Constitutio Concilii Vaticani „Dei Filius", *De Fide*, edita in Sessione III, die 24 aprilis 1870

P*ius Episcopus, Servus Servorum Dei, Sacro approbante Concilio. Ad perpetuam rei memoriam.* — Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus noster Iesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti,

operanti benedicere, periclitanti opem ferre, nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta: hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices; quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera ? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ; ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum [1].

---

[1] Is., LIX, 21.

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I

De Deo rerum omnium Creatore

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum ; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis

utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam [1].

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter [2]. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius [3], ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II

De revelatione

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse ; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur [4] : attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo : Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio [5].

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non

[1] Conc. Lateran. IX, cap. I, *Firmiter*.
[2] Sap., VIII, 1.
[3] Cf. Hebr., IV, 13.
[4] Rom., I, 20.
[5] Hebr., I, 1, 2.

sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum [1].

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt [2]. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius

[1] I Cor., II, 9.

[2] Conc. Trid., sess. IV, decr. *De Can. Script.*

est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum ; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III

De fide

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium [1].

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime

[1] Hebr., XI, 1.

Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis [1]. Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco [2].

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati [3]. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est; et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam

[1] Marc., XVI, 20.
[2] II Petr., I, 19.
[3] Syn. Araus. II, can. 7.

Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [1], et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat ut ad agnitionem veritatis venire possint ; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur ; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem ; sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

---

[1] Is., xi, 12.

CAPUT IV

De fide et ratione

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus ; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est [1], pronuntiat : Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit ; — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [2]. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis [3].

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo ; nunquam tamen idonea

[1] Ioan., I, 17.
[2] I Cor., II, 7, 9.
[3] Matth., XI, 25.

redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem [1].

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus [2]. Porro Ecclesia,quae, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam [3]. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat ; fides vero rationem ab erroribus

---

[1] II Cor., v.

[2] Conc. Later. v, Bulla *Apostolici regiminis.*

[3] Coloss., II, 8.

liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit ; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo : sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia ; nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia [1].

[1] Vinc. Lir. Common., n. 28.

CANONES

I

De Deo rerum omnium Creatore

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit ; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit ; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam ; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse ;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia ;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam ; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas ;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum ;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit ; anathema sit.

II

De Revelatione

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse ; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur ; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere ; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit ; anathema sit.

III

De Fide

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit ; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur ; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse ; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari ; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci ; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse ; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint ; anathema sit.

IV

De fide et ratione

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari ; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint ; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia ; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt : omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae istic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.— Ita est. — Iosephus Episc. S. Hippolyti, Secret. Conc. Vatic

II

Constitutio Concilii Vaticani « Pastor aeternus », *De Ecclesia*, edita in Sessione IV, die 18 julii 1870

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, Sacro approbante Concilio. Ad perpetuam rei memoriam. — Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua, veluti in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre ; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret [1]. Et

---

[1] S. Leo M., serm. IV (al. III), cap. II, in diem Natalis sui.

quoniam portae inferi, ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt ; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I

De apostolici primatus in beato Petro institutione

Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat : *Tu vocaberis Cephas* [1], postquam ille suam edidit confessionem inquiens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus : *Beatus es Simon BarIona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adver*

[1] Ioann., I. 42.

sus eam : et tibi dabo claves regni coelorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis [1]. Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens : *Pasce agnos meos : Pasce oves meas* [2]. Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput : vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse ; anathema sit.

---

[1] Matth., XVI, 16,19.

[2] Ioann., XXI, 15, 17.

CAPUT II

De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet [1]. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit [2]. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in

[1] Cf. Ephesini Concilii Act. III.

[2] S. Leo M., Serm. III (al. II), cap. III

capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent [1].

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores ; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem ; anathema sit.

CAPUT III

De vi et ratione primatus Romani Pontificis

Quapropter apertis innixi sacrarum Litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere ; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris Canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam.

[1] S. Iren. adv. haer. l. *III*, c. III, et Conc. Aquileien. a. 381, inter epp. S. Ambros. ep. XI

disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* [1].

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam : ita ut conten-

[1] Ep. ad Eulog. Alexandr. l. VIII, ep. XXX

dant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium [1], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri [2]; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio [3]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

[1] Pii PP. VI breve *Super soliditate*, die 28 nov. 1786.

[2] Concil. oecum. Lugdun. II.

[3] Ep. S. Nicolai I ad Michaelem Imperat.

CAPUT IV

De Romani Pontificis infallibili magisterio

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem : Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas [1]. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive

[1] Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II Patribus Concilii oecumenici VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit ; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debet iudicio definire. Florentinum denique Concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere : et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites, nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum [1]. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt ; plenissime scientes, hanc

[1] Cf. S. Bernard., Epist. cxc.

sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum Principi factam : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [1].

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxima requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant ; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos, traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

---

[1] Luc., XXII, 32.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Recitata Constitutione ex Ambone, latisque a singulis Patribus suffragiis, Summus Pontifex assurgens Decreta et canones, qui in eadem Constitutione continentur, solemniter confirmavit his verbis: « Decreta et Canones, qui in Constitu- « tione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, « duobus exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa et « illos ita, ut lecta sunt, definimus et Apostolica auctoritate con « firmamus ».

Ita est.— Iosephus Episcopus S. Hippolyti, Secretarius Concilii Vaticani.

De mandato SSmi in Christo Patris et Domini Nostri divina Providentia Pii PP. IX, anno a Nativitate Domini MDCCCLXX, Indict. XIII, die vero XVIII Iulii, Pontificatus eiusdem SSmi Domini Nostri ann. XXV, praesens Constitutio Apostolica affixa et publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris, Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae, atque in Acie Campi Florae, per me Aloisium Serafini apost. Curs. — Philippus Ossani Magist. Curs.

III

Literae Encyclicae SS. D. N. Leonis XIII « Providentissimus Deus », *De Sacra Scriptura*, 18 novembris 1893

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS VNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET
COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA
SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres,


Salvtem et apostolicam benedictionem.

Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint*, non *hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia*



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



APPLIED IMAGE Inc
1653 East Main Street
Rochester, New York 14609 USA
(716) 482 - 0300 - Phone
(716) 288 - 5989 - Fax

Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem [1]. Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem*, continetur tum *in sine scripto traditionibus*, tum etiam *in libris scriptis*, qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* [2]. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia : eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur [3], eamdemque esse oracula et eloquia divina [4], litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas [5]. Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici mu-

---

[1] Conc. Vat., sess. III, cap. II, *De Revel.*

[2] Ibid.

[3] S. Aug., *De civ. Dei*, XI, 3.

[4] S. Clem. Rom. I ad Cor., 45 ; S. Polycarp., ad Phil., 7 ; S. Iren., *c. haer.*, II, 28, 2.

[5] S. Chrys., in *Gen.*, hom. 2, 2 ; S. Aug., in Ps. XXX, serm. 2, 1 ; S. Greg. M. ad Theod. ep. IV, 31.

neris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter ; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto : *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* [1]. Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, « fide contraxit multitudinem » [2], ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit ; nam per occasio

[1] II Tim., III, 16, 17.

[2] S. Aug., *De util. cred.*, XIV, 32.

nem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* [1], magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas « se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea « diceret confidenter : *Arma militiae nostrae non carnalia sunt,* « *sed potentia Deo* » [2]. — Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignora-

[1] Act., XIV, 3.

[2] S. Hier., *De studio Script.* ad Paulin., ep. LIII, 3.

« tionem Scripturarum esse ignorationem Christi »[1] : ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit : « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est « propugnaculum Ecclesiae »[2]. Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici : plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia : gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa*[3]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei[4], eamdemque longe abesse ab illa, qua

[1] In Is. Prol.

[2] In Is., LIV, 12.

[3] I Thess., I, 5.

[4] Ierem., XXIII, 29.

divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* [1]. Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam : id quod Augustinus pervidit diserteque arguit [2], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium [3], vel perennes fontes salutis [4], vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur [5]. Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum : « Divinas Scripturas saepius « lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ; « disce quod doceas......sermo presbyteri Scripturarum lectione « conditus sit » [6] ; convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera : « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, « a sacrae lectionis studio non recedant » [7]. — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse

[1] Hebr., IV, 12.

[2] *De doctr. chr.*, IV, 6, 7.

[3] S. Chrys. in *Gen.*, hom. 21, 2 ; hom. 60, 3 ; S. Aug., *De discipl. chr.*, 2.

[4] S. Athan , ep. fest. 39.

[5] S. Aug., serm. 26, 24 ; S. Ambr. in Ps. CXVIII, serm. 19, 2.

[6] S. Hier., *De vit. cleric.* ad Nepot.

[7] S. Greg. M , *Regul. past.* II, 11 (al. 22 ;) *Moral.*, XVIII, 26 (al. 14).

« forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor »[1], eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semet- « ipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant »[2]. Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere*, vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis ; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*[3]. Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata ; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est ; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimis continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu »[4], hoc est lumine et gratia eius : quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret*[5], optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse

[1] S. Aug., serm. 179, 1.

[2] S. Greg. M., *Regul. past.* III, 24 (al. 48).

[3] I Tim., IV, 16.

[4] S. Hier. in *Mich.*, I, 10.

[5] Conc. Trid., sess. V, decret. *De Reform.* 1.

et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam ; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit [1]. Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt : ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum : Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum ; Cappadocia Basilium

[1] Conc. Trid., sess. V, decret. *De Reform.* 1, 2.

Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt.—Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum

praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. —Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non pauci, iique studiosiores Ss. Patrum, nomen

sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia ; quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Haec omnia qui probe ut opertet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei ; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta : illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces ; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones : ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam : evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. — Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuius-

dam *scientiae liberae*, obtrudunt : quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere ; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt ; id concionibus, id sermonibus insinuant ; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere. — Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant ; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae* [1] antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae sacrae exurgant.

Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti : ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excep-

[1] I Tim., VI, 20.

turi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione*, ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum praebent vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. Is porro, retinens instituta maiorum, exem-

plar in hoc sumet versionem vulgatam ; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit [1], atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino, proficiet [2]. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat « ille quem interpretetur, exponere » [3]. – Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur : cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti. — Ex hoc, tutus erit gradus ad usum divinae Scripturae in re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae

[1] Sess. IV, decret. *De edit. et usu sacr. libror.*

[2] *De doctr. chr.*, III, 4.

[3] S. Hier. ad Pammach.

humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit [1]: Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi iam sanctus docuit Irenaeus [2]: cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari* [3]. — Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram

[1] S. Hier. ad Paulin., *De studio Script.*, ep. LIII, 4.

[2] C. haer. IV, 26, 5.

[3] Sess. III, cap. II, *De Revel.*: cf. Conc. Trid., sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*

adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur ; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio*[1], eadem ipse ratione interpretetur ; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda : nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. — Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus[2], multumque Augustinus, qui, iusta cum querela, « Si « unaquaeque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut

---

[1] Conc. Vat., sess. III, cap. III, *De Fide*.

[2] Ibid., VI, 7.

« percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum « libros ab interpretibus suis nolle cognoscere » [1] ! Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum « Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, « sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et « ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse « constabat » [2]. — Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, « sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, « pastoribus, nutritoribus crevit » [3], summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur ; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere [4] : quae prae-

[1] Ad Honorat. *De utilit. cred.*, XVII, 35.

[2] Rufin., *Hist. eccl.*, II, 9.

[3] S. Aug., c. Iulian. II, 10, 37.

[4] *De Gen. ad lit.*, l. VIII, cap. VII, 13.

ceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit ; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. — Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae pericula et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis [1], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt [2].

Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima : ita nimirum omni aetate

[1] Cf. Clem. Alex., *Strom.*, VII, 16 ; Orig., *De princ.*, IV, 8 ; in *Levit.* hom., IV, 8 ; Tertull., *De praescr.*, 15, seqq. ; S. Hilar. Pict. in *Matth.*, XIII, 1.

[2] S. Greg. M., *Moral.*, XX, 9 (al. 11).

Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire ; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquir . Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda ; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta : « Non enim accipit (theologia) sua principia ab « aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo « non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed « utitur eis tamquam inferioribus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem [1] : qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri : « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur ; sicut per auctoritates sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem » [2]. — Providendum igitur, ut ad studia biblica conve-

[1] *Summ. theol.*, p. I, q. I, a. 5 ad 2.

[2] Ibid., a. 8.

nienter instructi munitique aggrediantur iuvenes ; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est : altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae ; quae *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* [1]. Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est : quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio. Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apostolus [2], neque vero ad nova hostium

---

[1] Conc. Vat., sess. III, cap. III, *De Fide*.

[2] Eph. VI, 13, seqq.

arma et praelia insueti. Quod pulcre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus : « Ingens adhibendum est studium ut « *Christi verbum habitet in nobis abundanter* [1] : neque enim ad « unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est « bellum et varii sunt hostes : neque iisdem omnes utuntur « armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. « Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, « omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit « sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et « miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus : nisi « enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam « partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves « diripere » [2]. Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus : iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum ; nam ipse *omnia omnibus* [3] fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipso est spe* [4]. Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione,

[1] Cfr Col., III, 16.
[2] De sacerd., IV, 4.
[3] I Cor., IX, 22.
[4] I Petr., III, 15.

sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina : perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant : illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur : inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae : inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem ; quae, semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus

impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito « asserant »[1]. Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata : « Quidquid, « inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demons- « trare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse « contrarium ; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus « his nostris Litteris, idest catholicae fidei, contrarium protule- « rint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla « dubitatione credamus esse falsissimum »[2]. De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista « (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) « docere homines, nulli saluti profutura »[3] ; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae « sensibiliter apparent »[4], seu quae Deus ipse, homines

[1] In Gen. op. imperf., IX, 30.

[2] De Gen., ad litt. I, 21, 41.

[3] S. Aug., ib., II, 9, 20.

[4] Summa theol., p. I, q. LXX, a. 1 ad 3.

alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diver« simode opinari, sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia [1]. Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius « esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et « nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata « fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, « nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus « huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebea« tur » [2]. Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas. — Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut

[1] In Sent. II, dist. II, q. 1, a. 3.

[2] Opusc. X.

erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio ; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint ; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum : fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps ; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae : at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt ; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino ; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum : *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris*

et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem [1]. Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres: « Itaque, ait « Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, « nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quando- « quidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite « cognoverunt » [2]: pronunciatque S. Gregorius M.: « Quis haec « scripserit, valde supervacanee quaeritur, quum tamen auctor « libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec « scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius « opere inspirator extitit » [3]. Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter

---

[1] Sess. III. c. II. *De revel.*

[2] De consensu Evangel., l. I, cap. XXXV.

[3] Praef. in Iob, n.

se et conciliare studuerint : professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit : « Ego enim fateor caritati « tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, « didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum « auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si « aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium « veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel « interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me « minime intellexisse non ambigam » [1].

At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest ; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios ; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. — Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quae

---

[1] Ep. LXXXII, I. et crebrius alibi.

Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria, repellant. — Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem ; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere. — Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt ; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem : nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat ; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse : neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multamque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere : item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies ;

sed « veritas manet et invalescit in aeternum »[1]. Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus[2], ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque eiusdem Doctoris : « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam « inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem « laqueis erroris inserere »[3]. — Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et observentur : sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem : atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem. — Omnes denique alumnos et administros

---

[1] III Esdr., IV, 38.

[2] Ad Ianuar. ep. LV, 21.

[3] De doctr. chr. III, IX., 18.

Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis : nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae. Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat : inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet : *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* [1].

Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII novembris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

---

[1] Ps. CXVIII, 2.

IV

Decretum S. Officii circa dispensationes matrimoniales in articulo mortis et appellationem « Ordinarii », 20 februarii 1888

De mandato Sanctissimi Dni N. Leonis XIII Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis, nuperrimis temporibus, duplex quaestionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui iuxta civiles leges sunt coniuncti, aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscientiae consulere valeant : alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum... Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimen-

tibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est eiusdem Sanctitatis Suae, ut, si quando, quod absit, necessitas ferat ut dispensandum sit cum iis, qui sacro Subdiaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item adprobato et confirmato eorumdem Eminentissimorum Patrum suffragio, Sanctissimus sanxit :

1. Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci.*

2. Appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et, Sede vacante, Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario eius generali, vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi coeperint, sive non. Et vicissim, Sede deinde provisa, posse Episcopum vel eius Vicarium in spiritualibus generalem, seu Officialem exequi

dispensationes quae Vicario Capitulari exequendae remissae fuerant, seu hic illas exequi coeperit, seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum ; etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cuius dioecesi sponsi actu degunt.

V

Decretum S. Officii de transitu facultatum apostolicarum Ordinariis concessarum ad eorum successores, Feria IV, 24 novembris 1897

In Congr. Gen. S. Rom. et Univ. Inquis. habita ab Emis ac Rmis DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, iidem Emi Patres, rerum temporumque adiunctis mature perpensis, decernendum censuerunt : Supplicandum SSmo ut declarare seu statuere dignetur facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Sup. hac Cong. editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales.

Insequenti vero feria VI, die 26 Novembris 1897, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. D. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem adprobavit, atque ita perpetuis futuris temporibus servandum mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. Can. MANCINI.

S. R. et U. I. Not.

VI

S. Officii decretum de facultatibus concedendis « Ordinariis locorum », et de appellatione « Ordinariorum », 20 aprilis 1898

Feria IV, die 20 aprilis 1898

Postquam per Decretum huius supremae Sacrae Congregationis in Fer. IV die 24 Novembris 1897 declaratum fuit facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessas non suspendi eorum morte vel cessatione a munere, sed ad successores Ordinarios extendi, ad formam Decreti S. Officii Fer. IV diei 20 Februarii 1888 pro dispensationibus matrimonialibus ; propositum fuit eidem huic S. Congregationi dubium : utrum expediat in posterum eliminare facultates *durante munere*, quae ut plurimum Vicariis Capitularibus conceduntur.

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis et RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi Patres rescribendum mandarunt :

Clausulam DURANTE MUNERE, *esse supprimendam, et in caeteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii* 1888 *num.* 1 *et* 2., *ut iuxta modum, idest :*

« 1o Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis Locorum.

« 2o Appellatione *Ordinariorum* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem ».

Subsequenti vero feria VI, die 22 eiusdem mensis Aprilis 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem EEmorum Patrum adprobavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. Can. MANCINI.

S. R. et U. I. Not.

VII

Decretum S. Officii de subdelegatione facultatum apostolicarum, 14 decembris 1898

Huic Supremae S. R. et U. Inquisitionis propositum fuit enodandum sequens dubium :

« An possit Episcopus dioecesanus subdelegare, absque « speciali concessione, suis Vicariis Generalibus, aut aliis « Ecclesiasticis, generali modo, vel saltem pro casu particulari, « facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas » ?

Porro in Congregatione Generali, ab EE. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, maturrime praedicto dubio expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. et RR. Patres respondendum mandarunt :

Affirmative, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur : in hoc enim casu, servandum erit adamussim forma Rescripti.

Sequenti vero Feria VI die 16 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini,

S. R. et U. I. Not.

VIII

S. Officii decretum circa interpretationem decreti 24 novembris 1897 de transitu facultatum Ordinariis concessarum ad eorum successores, 3 maii 1899

Beatissime Pater,

Decreto S. R. et U. Inquisitionis die 24 Novembris 1897 statuitur « facultates omnes speciales, *habitualiter* a Sancta Sede « Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas, non « suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessa- « tionem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam « et in terminis decreti a Suprema hac Congregatione editi die « 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales ».

Verumtamen infrascriptus Vicarius Capitularis, sede vacante, Dioeceseos N. N., ad omne dubium tollendum pro suae conscientiae tranquillitate, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus postulat ut declarare dignetur :

I. Utrum sub illis verbis *facultates omnes speciales* HABITUALITER *a Sancta Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas* comprehendantur facultates omnes speciales a Sancta Sede Ordinariis concessae, quibus utuntur quoties voluerint, licet ad praefinitum tempus ; cuiusmodi sunt facultates *de Poenitentiaria* dictae, reductionis missarum, etc.

II. Utrum facultas benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda, quae Episcopis fuerit concessa, transeat etiam ob eorum mortem vel a munere cessationem ad successorem Vicarium Capitularem, quamvis Episcopali dignitate non insignitum.

III. Utrum sub iisdem verbis *facultates omnes speciales* HABITUALITER *a Sancta Sede Episcopis. . . concessas* comprehendantur etiam facultates, quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero, ut sunt facultates dispensandi a sacrae ordinationis titulo, pro definito ordinandorum numero.

IV. Et quatenus ad aliquid horum negative, quaenam sit interpretatio illius adverbii HABITUALITER.

Et Deus etc.

Fer. IV, die 3 maii 1899

In Congregatione Generali ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Ad I, II et III *Affirmative.*

Ad IV. *Provisum in praecedentibus.*

Sequenti vero feria VI, die 5 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Divinae Prov. PP. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI.
S. R. et U. I. Not.

IX

Decretum S. C. Concilii de clericorum excardinatione et ordinatione, 20 iulii 1898

A primis Ecclesiae saeculis plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum [1], neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea quae praefinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret [2], « intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad « ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi « beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus « fuerit) domicilium in eadem ». Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcop familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina synodus [3], id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII [4], determinavit ac constituit quo

[1] Cap. VIII, sess. XXIII, *De Reform.*

[2] Cap. *Cum nullus. De tempore Ordin.*

[3] Cap. IX, sess. XXIII, *De Reform.*

[4] App. litt. incipientibus *Speculatores*, datis die 4a nov. 1694.

sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae.

Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent ; eaque innixi in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem implorarent : qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ulteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit.

Quapropter Emi S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt :

1o Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

2o Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam : ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit.

3o Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4o Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet « ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius « suis Ecclesiis » ut Tridentinum statuit [1]; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

5o Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6o Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. *Speculatores* quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii die 20 Iulii 1898.

A. Card. Di Pietro,
S. C. Concilii Praefectus.

✠ Beniaminus, Arch. Nazianzenus.
Pro Secretarius.

[1] Cap. XVI, sess. XXIII, *De Reform.*

X

S. Cong. Episc. et Regul. instructio de verbi Dei praedicatione, 31 iulii 1894

Sanctissimus Pater Leo Papa XIII, cui apostolicum sacrae Praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote christiano populo, his praesertim temporibus, recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annunciandis e suggestu Fidei mysteriis multa peccari; complures scilicet, aliquot abhinc annis, eosque gravissimos, irrepsisse abusus in modum, quibus saepenumero sacra hodie praedicatio spretu digna, aut saltem sterillis ac prorsus inutilis efficiatur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens, hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos Praesulesque Religiosorum Ordinum sese convertere, eorumque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut, quoad per ipsos fieri potest, huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removendum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec Sacra Congregatio Reverendissimis Episcopis et Regularium Ordinum, Coetuumque ecclesiasticorum Praesulibus hasce regulas omni diligentia studioque observandas exhibet.

1. Primum quidem quod ad sacri oratoris personam attinet,

caveant huiusmodi adeo sanctum ministerium ulli concredere qui nec sincera christiana pietate praeditus nec fervido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit ; sine quo aliud profecto non esset Orator, nisi *aut aes sonans, aut cymbalum tinniens* [1], nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui solus, et ratio impellens, et finis ultimus evangelicae praedicationis, sit oportet.

Haec vero Christiana pietas, sacris verbi Dei Praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet ; nec quidquam, iidem praeseferre vulgare aut mundanum ; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* [2] *: secus enim,* ut Sanctus Thomas Aquinas animadvertit, *si doctrina est bona, et Praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei* [3].

Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est ; cum apprime compertum sit, atque assidua experientia comprobatum, Praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praesertim vero sacris, instructi non sint, frustra expectari ; eosque cuidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, quin hilum (aut parum admodum) se praeparent, pulpitum ascendere.

Hi nimirum non aliud conficiunt quam aerem verberant, divinoque verbo contemptum irrisionemque, quin id fortasse advertant, misere conquirunt : quibus idcirco iure merito congruit minax illud divinum effatum : *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi* [4].

---

[1] I Cor., XIII, 1.
[2] I Cor., IV, 1.
[3] Comment. in Matth., V.
[4] Os., IV, 6.

2. Postquam igitur sacerdos (non vero ante) quas recensuimus dotes sibi comparaverit, tum solum Rmi Episcopi et Regularium Ordinum Praesules magnum divini verbi praedicandi ministerium eidem concedere poterunt: sed tamen continenter invigilantes, ut iis dicendis rebus inhaereat Orator, quae sacrae predicationi proprie conveniunt. Hae quidem res (quae materia sunt propria sacrae praedicationis) his divini Redemptoris verbis continentur: *Praedicate Evangelium... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [1]. Quae verba enarrans Angelicus Doctor scribit: « Praedicatores « debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda « manifestare; et modo comminando, modo exhortando, « hominibus salutaria praedicare » (loco supra citato). Et S. Tridentinum Concilium: « Annuntiantes eis vitia, quae eos « declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam « evadere, et coelestem gloriam consequi valeant » [2]. Sed multo amplius a summo Pontifice Pio IX id declaratum fuit haec scribente [3]: « Non semetipsos, sed Christum Crucifixum « praedicantes sanctissimae nostrae Religionis dogmata et « praecepta iuxta Catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, « gravi ac splendido orationis genere, populis clare aperteque « annuntient; peculiaria singulorum officia accurrate explicent; « omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, « quo Fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia « omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas « evadere, et coelestem gloriam consequi valeant ». Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro conditionis cuiusque varietate, hominis novissima, aliasque

[1] Matth., XXXIII, 20.

[2] Sess. V, cap. II, *De Ref.*

[3] Litt. encycl. 9 nov. 1846.

id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis materiam constituere.

3. Atque haec gravissima argumenta a multis divini verbi praeconibus indignum in modum negliguntur : qui quidem quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, ac probe noscentes hasce materias ad popularem auram, quam expetunt, sibi conciliandam magis prae aliis idoneas nequaquam esse, eas omnes praesertim in concionibus quadragesimalibus, et quibusdam aliis solemnioribus anni solemnitatibus, consulto praetereunt : unaque cum rebus earum nomina permutantes antiquis concionibus novum aliquod genus praedicationis sufficiunt, quas morales Collationes, falso sensu acceptas, vocant, quibus mens auditorum, vel potius phantasia, otiose permulceatur, non vero voluntas salubriter permoveatur, pravique reformentur mores. Hi nimirum non advertunt conciones quidem morales omnibus, polemicas vero collationes plerumque paucis prodesse ; atque hos ipsos paucos, si accuratius fuerint bonis moribus instructi, seu si diligentius adiuti, quo maiori castitate, animi demissione atque obedientia erga Ecclesiae auctoritatem praediti sint, id unum sufficeret ut mentem innumeris contra Fidem erroribus immunem, et ad veritatis lucem suscipiendam paratiorem haberent : errores enim circa Religionem, praesertim inter catholicos populos, magis ab effrenatis animi cupiditatibus quam a quibusvis mentis aberrationibus originem ducunt ; iuxta quod scriptum est : *De corde exeunt cogitationes malae......... blasphemiae.........*[1] *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* « *In corde suo, inquit Regius Psaltes* (sapienter hic adnotat S. Augustinus), *non vero in mente sua* ».

4. Nec vero ideo Collationum polemicarum usum damnandum existimamus ; quae si recte perficiantur, et ipsae admo-

[1] Matth., XV, 19, et in Psalmo XIII, vers. I.

dum utiles, imo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a Christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus, quam practicis, pertractant; de civilibus potius, quam religiosis; maioris videlicet speciei, quam fructus; quae proinde Ephemeridum palaestris, aulisque academicis apta forte erunt; at vero a loco sancto prorsus absona.

Quod vero ad illas polemicas Collationes attinet, quae Religionis ab adversariorum impugnationibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui Oratores magna debent prudentia uti: huiusmodi enim Apologiae in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit: cuius rei iudices maxime omnium competentes, locorum quorumlibet Episcopos esse manifeste patet. Has vero Apologias ea decet ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur: tali demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum evitetur, ne in quorumdam auditorum mentibus altius defixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, magisque percellant animos obiecta quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior quam par est, harum Collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae: dum contra omnino constat moralem praedicationem fidelium universitati longe maxime necessariam esse, nec nobilitate a polemica vinci: ac proinde etiam valentiores et celebriores Oratores in auditorum conspectu quantum libet electissimo ac frequentissimo hanc deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat frequentes isti Auditores semper de erroribus

disserere audient, qui saepenumero in iis, qui intersunt, nequaquam reperiuntur; numquam vero de culpis vitiisque, quae in hisce potius Auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent.

5. At vero si plerique in thematum tractandorum selectione abusus deflentur, plerique alii et quidem haud minus graves sunt in ipsa thematum tractatione deplorandi. Circa quam haec praeclara documenta tradit idem S. Doctor Aquinas [1]: « Ut « vere sit lux mundi, tria debet habere Praedicator verbi « divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: « secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium « est utilitas (seu recta intentio), ut quaerat Dei laudem, et non « suam ». Sed heu! triste infortunium! Plerarumque hodie concionum forma non solum ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abest, quam illa constanter praeseferret; sed etiam obscuris ambagibus tota obvolvitur, et in abstrusis argumentis communem populi captum excedentibus versatur, ut illud propheticum effatum in mentem subeat hic opportune repetendum: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* [2].

Quod autem peius est, ille divinus character a concionibus abest, ille christianae pietatis habitus, illa S. Spiritus unctio, per quam praeco evangelicus semper de seipso profiteri possit, et debeat: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis* [3]. Hi contra persuasibilibus humanae sapientiae verbis ferme unice innixi, verbum Dei, parvi aut nihili pendunt: sacram videlicet Scripturam, quae quidem praecipuus sacrae eloquentiae fons sit oportet: quemadmodum summus Pontifex super Cathedram Petri sedens nuper gravissimis verbis, quae huc

[1] l. c.
[2] Thren., IV, 4.
[3] I Cor., II, 4.

referre opportunum putamus, edocebat[1] : « Haec propria et « singularis sacrarum Scripturarum virtus, a divino afflatu « Spiritus Sancti profecta ea est quae Oratori sacro auctoritatem « addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam « victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi « spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur in « sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu Sancto, et in « plenitudine multa[2]. Quapropter ii dicendi sunt praepostere « improvideque facere, qui ita conciones de Religione habent, « et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant, nisi « humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis, « quam divinis, innixi. Istorum scilicet orationem quantumvis « nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est utpote « quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab « illa, qua divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo « Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens « usque ad divisionem animae ac spiritus*[3]. Quamquam hoc etiam « prudentioribus assentiendum est, inesse in Sacris Litteris « mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam : « id quod Augustinus pervidit, diserteque arguit[4] ; atque res « ipsa confirmat, et praestantissimorum in Oratoribus sacris « testimonium, qui nomen suum assidue SS. Bibliorum consue- « tudini, piaeque meditationi se praecipue debere, Deo grati « affirmarunt ».

6. En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, Sacra Biblia. Sed isti Evangelii praecones dicti, temporum nostrorum ideis ac moribus imbuti, neglecto per summum nefas fonte aquae *vivae*, ex humanae sapientiae *cisternis dissipatis* suam eloquentiam hauriunt ; potius quam divinitus inspiratas

[1] Encycl. *De studio S. Scripturae*, 18 nov. 1893.
[2] I Thess., I, 5.
[3] Hebr., IV, 12.
[4] *De Doctr. Christi*, IV, 6. 7.

sacrorum librorum sententias afferant, aut sanctorum Patrum, aut Conciliorum, auctores quamplurimos eosque profanos, novissimos atque etiam viventes, testes adducunt; quorum sententiae affatim ambiguas interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas saepe saepius admittunt. « Est etiam « pessimus sacrae eloquentiae abusus, religiosa themata unice « ob praesentis vitae rationes, quin de futura vel mentio fiat, « passim pertractare : commoda recensere a Christiana « Religione mundo allata, et officia dissimulare : divinum « Redemptorem uti egregium *philanthropon* pingere, et Eius, « ut Iudicis aeterni, iustitiam praeterire ».

« Exiguus exinde huiusmodi praedicationis fructus : ex « qua forte mundanus quisque homo persuasus exit, se, quin « mores corrigat, dummodo in Christum credat probum « christianum fore » [1].

Sed quid istorum hic fructus refert? Hic profecto non est id quod ipsi in primis expetunt : auditoribus blandiri exoptant, quibus *pruriunt auribus* [2] : et dummodo templa stipata videant, eorum parvi interest animas fructu vacuas permanere. Proinde numquam de peccato disserunt, numquam de hominum novissimis, numquam denique de aliis veritatibus gravissimis, quae auditores salubriter *contristare ad poenitentiam* possent [3]; solummodo *placentia* loquuntur [4]; atque hoc idem faciunt eloquentia quadam potius tribunitia quam apostolica; magis profana quam sacra, quae quamplures manus plaususque ipsis comparat a S. Hieronymo graviter reprobatos, cum ad Nepotianum scriberet : *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : auditorum lacrymae laudes tuae sint.* Ex quo fit, ut eorum praedicatio, ita in templo, sicut alibi, theatrali quadam aura circumfusa appareat, quae eam omni sacro

---

[1] Card. Bausa, archiep. Florent. ad iuv. cler., 1893.

[2] II Tim., IV, 3.

[3] II Cor., VII, 9.

[4] Is., XXX, 10.

charactere expoliat, omnique spirituali efficacia destituit. Exinde item in populo, imo etiam in plerisque e clero, adeo depravatus gustus divini verbi, et exsurdatum palatum : exinde tandem piorum scandalum, perversorum atque incredulorum nulla aut parva emendatio : qui quamvis interdum in templa, huiusmodi *placentia* verba audiendi causa, praesertim vero si sonoris illis ac magnificis nominibus, *civili progressu, patria, recenti nostrorum temporum scientia*, aliisque id genus allecti, profuse confluant, postquam Oratorem fragorosis plausibus fuerint prosequuti, oh ! iste, aientes, verum ac legitimum concionandi callet modum ! e templo exeunt quales illuc intraverant, sicut Iudaei, qui *omnes quidem mirabantur, sed non omnes convertebantur* [1].

7. Haec igitur Sacra Congregatio quum, supremis Romani Pontificis praeceptis obtemperans, tot tamque gravibus sacrae Praedicationis corruptelis consuetudine inductis remedium afferre omnino velit, omnes Rmos Italiae Episcopos, Generales Coenobitarum Praesules, atque omnes ecclesiasticorum Coetuum Rectores compellat ut in easdem apostolica animi fortitudine insurgant, atque iisdem penitus extirpandis sedulo dent operam.

Itaque memores, se iuxta sacrosancti Conc. Trid. praescriptum [2] *viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere* addictos esse, hac in re quam maximam diligentiam curamque adhibeant. Si quidem sacerdotes designandi ad suam ipsorum dioecesim pertineant, iis adeo augustum ministerium *nisi prius sive per examen*, sive alio quolibet opportuno modo, *de vita, de scientia*, de moribus comprobati fuerint [3], nequaquam concedant. Si vero illi ad aliam dioecesim spectent, neutiquam Episcopi in sua concionaturos admittant, praesertim vero

[1] S. August. in Matt., XIX, 15.

[2] Sess. V, cap. II, *De Ref.*

[3] Conc. Ind., l. c.

occurrentibus quibusdam solemnioribus anni solemnitatibus, nisi proprii Episcopi, seu Praesulis, litteras ostendat, quae et sacerdotem bonis moribus praeditum, et huic officio idoneum esse testentur.

Generales etiam cuiusvis religiosi Ordinis, Societatis, Congregationis, Praesules nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, inscio loci Episcopo, permittant ; eoque minus decet traditis testimonialibus litteris illos quoque mittere ut Episcopis se sistant, nisi prius accurate inquisierint, et certissime optimam noverint sacerdotum eorumdem et moralem vivendi et consuetam concionandi rationem.

Si vero cuiuslibet Dioecesis Episcopus, postquam aliquem Sacerdotem litteris huiusmodi a suis commendatum ad Dei verbum praedicandum in propria Dioecesi exceperit, eumque deinceps in sacro ministerio peragendo a normis monitisque hic per nos traditis aberrantem conspexerit, opportune primum eumdem admoneat, ut, si fieri possit, quam primum resipiscat : quod nisi sufficiat, ab officio illico removeat, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis.

Ceterum quoniam haec S. Congregatio Rmorum Episcoporum et Praesulum religiosis quibusvis Ordinibus praepositorum diligentiae ac zelo se tuto fidere posse probe novit, idcirco per ipsos praecipue fore confidit, ut haec nova recensque Dei verbi annunciandi, seu potius adulterandi, ratio quamprimum reformatam se prodat ; et sacra ipsa praedicatio, vanis verborum lenociniis amotis, augusto et nativo suo splendori, supernaturali simul efficacia denuo suscepta, in Dei laudem, aeternam animarum salutem ac spiritualem Ecclesiae totiusque christiani Orbis utilitatem, tandem aliquando restituatur.

Romae, ex Scribarum Curia Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis expediendisque praepositae, die 31 iulii, anno 1894.

I. Card. VERGA,
Praefectus.

ALOISIUS TROMBETTA,
Pro-Secretarius.

XI

SS. D. N. Leonis Papae XIII
Constitutio *Romanos Pontifices*,
VIII Idus maii 1881
Leges ex Conc. Westmonast. II,
de quibus agitur in eadem Constitutione

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kal. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus [1], *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt*; atque inde fit,

[1] *Adv. haer.* lib. IV, cap. XXVI, n. 2.

quemadmodum S. Cyprianus monet [1], *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta* [2]. At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales Ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia,

[1] Epist. XXIX *ad lapsos.*
[2] Lib. *Adv. iudaeos,* cap. V.

rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas, Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minor quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi, cunctis accurrate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione ; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur ; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur [1] ; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur ; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* [2] consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem ; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici Maximo propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret [3], en Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt : hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum ministerium*,

---

[1] Concil. Trid., sess. XXIII. *De Sacram. Ord.*, can. VII.

[2] S. Gregor. M. Epist. III, lib. IX. — Bened. XIV Epist. decr. *Apostolicae servitutis*, prid. idus mart. 1742.

[3] Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus*, cap. III.

III kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant. eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi [1] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus... « quibus coenobia quaecumque prohibentur » ; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur : adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* IX kalen. iulii MDCIII, Gregorii XV *Cum alias* XVI kalen. septemb. MDCXXII, Urbani VIII *Romanus Pontifex* V kalen. septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas [2]. Ac merito quidem ; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi esse quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum*

---

[1] Innocent. X Constit. *Instaurandae,* die 15 octob. 1652. Constit. *Ut in parvis,* die 10 februar. 1654.

[2] S. Cong. de Prop. Fide, 30 ianuarii 1627 ; 27 martii 1631 ; 5 octobris 1655 ; 23 septembris 1805 ; 29 martii 1834.

quorumquemque VI idus novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra » quamobrem « in concernentibus curam animarum Ordinario « loci subesse : in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis « Superioribus subiectos remanere ». Neque aliud sensit indicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis* V kalen. martii MDCCXLVI ; *Cum nuper* VI idus novembris MDCCLI, et *Cum alias* V idus iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt ; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent ; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit inquiens, « regulares Anglicanae missioni « destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis ». Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei evangelium « et viam veritatis et salutis demonstrandam ». Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus vel extra « legitime gaudent « quamvis « extra monasteria ut plurimum « degant ».

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus : Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra

viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis : « Si duo vel plures sint « sacerdotes in eadem missione, unum tantum primum « designandum, qui gerat curam animarum et administra- « tionem Ecclesiae... ceteros omnes curam quam habent « animarum cum dependentia a primo exercere »[1]. Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum ; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Constit. *Firmandis* § 6. VIII idus novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit[2]. Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum : « Ad « suam collationem tenentur convenire, respondere parati « omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum « iuribus, qui curam habent animarum ». Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra

[1] Decr. X, n. 10.

[2] *Forosempronien.*, 5 septemb. 1650, lib. XIX, Decr.

Congregatione Concilii declaratum [1]. At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo morales in eorum conventibus lectiones « non habeantur ». Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illuc munere perfungentibus imperavit ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est [2]: « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrantur, « ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, « interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, « accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum « saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui « illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ». Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV [3]. Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, III kalen. aprilis MDCXCI, quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum, quas Innocentius X Episcoporum potestati

[1] *Forosempronien.*, 12 maii 1681, lib. LIII, Decr., fol. 258, *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 martii 1718.

[2] Sess. XXIV, cap. II, *De Reform.*

[3] *De Synod. dioec.*, lib. III, cap. I, § II.

subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus : standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur [1], ceterisque in rebus « in quibus « eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt « instituta » [2]. Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit ; siquidem, « Gelasio I [3] et Nicolao I [4] auctoribus, ad illam de qualibet « mundi parte canones appellari voluerunt : ab illa autem nemo sit appellare permissus ». Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt ; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege

[1] Concil. Trid., sess. XXV, cap. XI, *De regular.*

[2] Innoc. IV, cap. I. *De privileg.* in 6.

[3] Epist. VII *ad Episc. Dardan.* ann. 495, tom. II, collect. Harduini.

[4] Epist. VIII *ad Michael. Imperat.*, tom. IV, collect. Harduini.

communi, scilicet *in devolutivo* [1]. At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt : quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint ; donec Pontiffcis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio : nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos ; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III [2] et a Concilio Tridentino [3]. Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non eat quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt : idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt

---

[1] Bened. XIV, *De Synod. Dioec.*, lib. XIII, cap. V., § II.

[2] Cap. *ad audientiam* de Eccles. aedific.

[3] Sess. XXI, cap. IV, *De Reform.*

constituta : eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent ; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est : « Non obstante rectoris missionarii deputatione, « licebit Episcopo de consilio Capituli, intra limites missionis « cui praeponitur, novas Ecclesias condere ac portionem « districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis « id requirat ». Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus : licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini [1], quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae : quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis [2]. Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum : quod si a religiosis sodalibus misso administretur, Praefectus Ordinis audiatur ; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur : utrum nempe Episcopus, in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in

---

[1] Cap. IV, sess. XXI, *De Reform.*

[2] *De regimine congregationum* seu *missionum*, n. 5.

ea, de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere ; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, perquam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri ; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper*, VI idus novembris MDCCLI : « Quemadmodum, inquit, negari nequit, « ex veteri canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum « parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est « ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus « parochiarum curam adsumere sine dispensatione Apostolica ». Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis [1], ad dubium « an annuendum sit precibus Patrum Augustinia- « norum de nova paroecia iisdem concedenda » rescripsit — negative et amplius. — Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector ; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet : ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas ; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit ; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis

[1] In Ianuen., *dismembrationis*, 25 ianuarii 1879.

facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt : cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes : sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae, puerorum* nuncupantur ; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur ; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam : quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis, et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem ; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens : « In hisce potissimum « scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris « annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praecep- « tionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque « honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem

« accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa « praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione « locum habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, « quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae appareant »[1]. — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis, inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent[2], puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa[3]. Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus, alumni religioni ac pietati operam darent[4], definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret[5], iisque imper... n, uti iuraret iuxta formulam catholicae professionis[6] : ...mum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent[7]. Ad haec,

[1] Epist. ad Archiepisc. Friburg. *Cum non sine maxima*, 14 iulii 1864, *Acta*, vol. III.

[2] Synod. I. Provincial. Camerac., tit. *De scholis*, cap. XI. — Synod. provinc. Mechlin., tit. *De scholis*, cap. II.

[3] Synod. Namurcen., an. 1604, tit. II, cap. I.

[4] Synod. Antuerpien. sub Mireo, tit. IX, cap. III.

[5] Synod. Cameracen., an. 1550.

[6] Synod. II Provinc. Mechlin. tit. I, cap. III.

[7] Synod. II Provinc. Mechlin., tit. XX, cap. IV. — Synod. Provinc. Pragen., an. 1860, tit. II, cap. VII.

quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui [1], quibus nomen est *parochialibus* impositum [2]; iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere [3]: iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime [4]: quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur [5], dignique habentur in quos Episcopus animadvertat [6]. In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

---

[1] Synod. Valent., ann. 529, can. I. — Synod. Nannet., relat. in cap. III, *De rit. et hon. clericorum.* — Synod. Burdigalen., an. 1583, tit. XXVII.

[2] Synod. I Provinc. Mechlin., tit. *De scholis,* cap. II. — Synod. Prov. Colocen., an. 1863, tit. VI. Synod. Provin. (Hibern.) apud Maynooth, anno 1875.

[3] Synod. Nannet. sup. cit. — Synod. Antuerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig., an. 1850, tit. VI, cap. III.

[4] Synod. Prov. Viennen., ann. 1858, tit. VI, cap. VIII.—Synod. Prov. Ultraiect., an. 1865, tit. III, cap. II.

[5] Synod. Prov. Colocen., an. 1863, tit. VI, cap. V. — Synod. Prov. Colonien., an. 1860, tit. II, cap. XXIII.—Synod. Prov. Ultraiect., an. 1865 tit. IX, cap. V.

[6] Synod. I Prov. Cameracen., tit *De scholis,* cap. II.

Alia profecto causa est ceterorum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent ; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV [1].

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur ; an et cuius superioris venia sit impetranda ? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali [2]. Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, « licentia prius obtenta » [3] : quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII [4] pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. — Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae* idibus octobris MDCLII, qua

[1] Decr. XIV.

[2] Cap. *Religiosorum*, §. *Confirmatas* de relig. domib., et cap. *Ex eo*, de excess. praelat. in 6.

[3] Concil. Trident., sess. XXV, cap. III, *De Regular.*

[4] Constit. *Romanus Pontifex*, XIII kalen. septembris 1624.

praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca « quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque « Sedis Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri [1]. Iisdem insistens vestigiis, sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam [2]. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus : sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisito, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur ; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere ? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre : aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur;

---

[1] Bened. XIV, *De Synod. diœces.*, lib. IX, cap. I, n. 9. — Monacelli *formul. legal.*, part. I, tit. VI, form. 19, n. 31.

[2] Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 martii 1669 ; 3 nov. 1688, 1704, 1768 ; 23 aug. 1758 ; 30 maii 1864 ; 17 iulii 1865.

aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca « quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare »[1]. Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, Collegiorum, « domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum « huiusmodi » ? Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Constitutionem *Romanus Pontifex*, nisi « servata in omnibus et « per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma ». Sic unum superest de quo contendatur ; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur ; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur ; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur : Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, cum sua sponte et voluntate dona

[1] Cap. *Cum ex eo*, de excess. praelat. in 6.

largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba : « 1o Missionarii « regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* « spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. « 2o Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus « *intuitu missionis* tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem « missionariis regularibus, aeque ac a Parochis cleri saecularis, « rationem exigendi ». Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus, die X maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data, piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit, administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris [1]. Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit [2], ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci,

[1] Faguan., in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis.*, n. 29. — Card. de Luca, *in Conc. Trid.*, discur. 18, n. 5 — Reiffenst., lib. III *Decretal.*, tit. XXX, n. 193.

[2] L. I, §. *Officio ff. de tutelae et rat. distr.* — L. II, §. *Et sane ff. de negot. gest.* L. *Curator.*, L. *Tutor*, Cod. *de negot. gest.*

cuius est iurisdictio et causae piae tutela [1]. At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent ; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt - circa Ecclesias parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii ; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio [3], certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione *temporalium*, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

Quocirca ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem die X maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit ; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi [4].

[1] Sac. Cong. Concilii *Nullius, seu Nonantulan.* iurium parochialium, 27 iunii 1744 ad dub. XII.

[2] Lucius II, *ad Priorem S. Pancratii in Anglia*, Alexander III *ad Monaster. S. Arnulphi*, Lucius III *ad Superior. Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

[3] Gonzal. Comment. in cap. I. *De Cappel. Monach.*

[4] Argum. ex cap. *Pastoral.* IX, *de his quae fiunt a praelat. cap. Transmissa, de Verb. sign.*, ac praesertim cap. I, *De Statu Monach.*

At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae oblationes quae in « Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione « sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus « post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus « functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant ; « consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis « aut aliis certis finibus applicante » [1]. Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt [2], haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitro possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat ; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae

---

[1] Reiffenst., l. III, *Decretal.*, tit. XXX, n. 193, Van Espen, *ius eccles. univ.*, part. II, sect. IV, tit. II, cap. X, nn. 20 et 21.

[2] Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. [illegible], quaest. I.

collationes decernendique quo tempore et qua de conferri causa oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accommodare oportere [1].

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi. . . consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserunt, non sibimet discrepando perficiant* [2]. Concordiam hanc postulat paternas caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopis observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes [3].

[1] *Vid. hoc docum. ad calcem. praesentis Constit.*

[2] Apud Bedam, *Histor. Angl.*, II. 29.

[3] Philip., II.

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis interesse habentes, cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari ; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter servari ; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Instituto-

rum,et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Dominicae Incarnation: nillesimo octingentesimo octuagesimo primo, octavo idus ...aii, Pontificatus Nostri Anno IV.

C. Card. Sacconi, *Pro-Datarius.*

T. Card. Mertel, *Visa de Curia.*

I. De Aquila, *e Vice-comitibus.*

Loco ✠ Plumbi. Reg. in Secretaria Brevium.

. Cugnonius.

Leges ex Conc. Westmonast. II. de quibus agit S. Pontifex in Const. " Romanos Pontifices "

I. Bona quae a fidelibus in religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem, aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur: eorumque administratores seu curatores, sive viri ecclesiastici sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi. Cum igitur hic iam inter dispensatores quaeratur, ut fidelis quis inveniatur, de iis, quae rectam bonorum ecclesiasticorum administrationem respiciunt, in hac synodo plenius nobis agendum videtur, quia praesertim in primo provinciali Concilio, rebus maioris momenti occupati, huiusmodi materiam ad tempus opportunius remiserimus.

II. Igitur adlaborandum ut omni modo determinetur (si dubium existat) intentio et animus donatoris vel testatoris alicuius fundi, et ut usui ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur.

III. Si vero huiusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones, quibus de tali voluntate recte iudicari potest.

IV. Quotiscumque erigatur aut provideatur ecclesia, seu schola, sive aliud quodvis aedificium usibus religionis destinatum, sive ex integro sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis societate piorum Catholicorum eleemosynarum administratrice, eiusmodi aedificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis

missio de qua agitur sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynae illae praesumuntur non corporationi ipsi, sed Dei cultui promovendo et pauperum levamini fuisse collatae, eoque in loco ad hosce usus erogandae.

V. Similiter iudicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur; nisi certissime constet declarasse se in tali erectione non loci eiusque fidelium commodum respexisse, sed Ordini illi donum voluisse conferre. (Regulae, sub numero praecedenti et sub hoc traditae quoad ius in fundationes, sunt applicandae ad novas tantum fundationes, cum de Regularibus agitur.)

VI. Non vero licebit Episcopo Missionem legitime alicui Ordini religioso concreditam, dicto titulo, ipsi auferre. Respiciunt enim hae regulae solummodo casum in quo Regularis illa familia vel nequeat vel nolit illius Missionis curam retinere; si, exempli gratia, e Superiore ab illo loco revocetur, vel alia quavis de causa cesset omnino, et non ad tempus dumtaxat, ibidem exsistere.

VII. Si vero aliqua Missio fundatur exclusive, sive longe maiore ex parte sumptibus alicuius religiosae familiae, quae iustis de causis atque in perpetuum alio migrare poterit velle, hortamur ut pactio clara fiat inter Episcopum et Superiores Ordinis quid hoc in casu sit agendum, ne iura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur, et grave animarum damnum emergat.

VIII. Multo minus licet clerico vel ipsi Episcopo bona Ecclesiae alienare, sicuti constat ex innumeris pene iuris canonici sanctionibus. Quod si propter causas ab ipso iure approbatas contigerit talem alienationem esse necessariam, sacerdos nunquam sine Episcopi auctoritate, nec Episcopus absque iis cautionibus quae a lege canonica requiruntur, illam efficere potest.

IX. In omni missione pecuniae quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis Ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti. Ex ea namque pecunia non solum eius honestae sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae, debitis, si quae sint, solvendis, aliisque huiusmodi providendum est. Idcirco, si discedere a Missione alicui sacerdoti contigerit in anni cursu, non ius habet ad ratam partem introitus anni nisi prius detrahatur pars iuste assignanda illis impensis. Similiter ea quae providerat pro Ecclesiae usu ex ipsis reditibus Ecclesiae, *v. g.* cereos, vinum pro sanctissimo sacrificio, sacram supellectilem, post se relinquere debet absque compensatione, nisi constare faciat hanc provisionem aequam rationem excedere.

X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro Missionum sustentatione praevalere omnibus satis patet. Sequentes imprimis non improbandas censemus, donec melius per caritatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur :

1. Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur Ecclesiae.

2. Collectae ad Offertorium in ecclesia factae.

3. Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati iuxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4. Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua eius parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

5. Collectae quae vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos, aut per societates et confraternitates, legitime institutas, vel exiguntur per decurias, aut centurias, prout

fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur.

XI. Quamvis equidem exoptandum esset, plures ex hisce modis sustentandi Ecclesiam posse e medio tolli, iam tamen experientia docuit adhuc impossibile esse talibus adiumentis omni ex parte supersedere. Ubi igitur usus iam invigiut unum vel plures ex ipsis adhibendi, continuari ita debet, ut nulla in eis innovatio absque episcopi arbitrio introducatur. Praesertim vero spatium liberum non minuatur neque coarctetur, eo inconsulto. Quidquid vero pecuniae per ista media ad Missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas Missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur supellectilis, vel sacrae vel domesticae, ex his reditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocumque spectantium conservanda impenderit ; non sibi, sed Missioni providit, ex bonis ad eam pertinentibus.

XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primum Missionem accedit, accipiat a Vicario foraneo, vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium omnium ad Missionem pertinentium. Tenetur autem supellectilem et aedificia integra servare, imo potius meliorare, ut saltem successori tantum tradat quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad maiorem locorum decorem nova seu venustiora providerit, distinguendum est, quonam ex fonte ista provenerint.

1. Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarum sibi bene affectarum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiae, quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit.

2. Si vero generatim proventibus Ecclesiae, vel donis sive collectis congregationis, vel tandem aere ab Episcopo vel administratoribus rerum temporalium dioeceseos concesso, fuerint haec conquisita, omnino Missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

XIII. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, iuxta regulam in iure traditam, ea quae ecclesiasticis usibus apta, donantur viro missionario, esse Missioni donata. Ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur ; sicuti etiam res sacrae, si expresse, veluti grati animi vel affectus pignus, a congregatione sacerdoti cuivis donantur.

XIV. Honoraria Missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus solemnibus Paschae et Nativitatis Domini, singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de iure pertinent. Caveat vero sacerdos ne in suspicionem cadat aliquid recipiendi, intuitu sacramenti Poenitentiae ab ipso administrati.

XV. De applicatione pecuniae quae ex iuribus stolae provenit, non una eademque praxis per totam obtinet Ecclesiam. Etenim, quamvis Ecclesia sordidum quaestum detestetur, ob quem pro Sacramentorum celebratione extorqueatur vel exigatur pecunia a fidelibus ea petentibus, Concilium tamen Lateranense, sub Innocentio III anno 1215 habitum, praescripsit ut observarentur laudabiles consuetudines, quarum vigore oblationes, ex occasione celebratione Sacramentorum, a fidelibus altaris ministris fiunt. Proventus ex hoc fonte derivantes ordinario sacerdotibus adiudicantur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. Anteferenda vero videtur coeteris ea distributio, quae magis ad allevanda onera Missionis possit conferre.

XVI. Dum igitur prohibemus ne aliquid petatur (multoque magis exigi) ante baptismatis vel matrimonii celebrationem.

aut etiam post celebrationem veluti de iure, remittimus prudentiae Episcoporum ea in suis dioecesanis Synodis, hac de re statuere quae consuetudinibus et conditioni locorum visa fuerint magis apta. Abusus praesertim omnes, si qui existant, tam in qualitate quam in exactione huiusmodi oblationum, diligentissime corrigant, modum ubique aequum imponendo.

XVII. Quicumque administrationi alicuius Missionis praeest, quocumque titulo, librum omnino teneat diurnum omnium receptarum et expensarum Missionis, in quo quotidie utrasque scribat accuratissime, et suo quasque ordine. Habeat etiam penes se alterum librum quem Magistrum (Ledger) vulgo vocant, in quem transferat, post mensem vel trimestrem, omnia quae in primo libro continentur ; ita tamen ut in ordinem redigantur, iuxta capita ad quae summa quaeque, sive recepta sive expensa, referri debet.

XVIII. Quivis administrator habeat « computum apertum » ut dicitur, in mensa aliqua nummularia duorum virorum honestorum nominibus, praeter suum, adscriptum. Isti vero solummodo ad conservationem pecuniae a quovis iacturae periculo assumptos se sciant, neque sese illius administrationi ingerere debent. Deficiente vero uno quacumque ex causa, duo qui supersunt alium ab Episcopo electum supplendum curabunt. Administrator igitur pecuniam ad Missionem pertinentem, scilicet eam quae ad proprium peculium non pertinet, ultra summam librarum viginti apud se plus quam decem dies non retineat, sed in dictam mensam diligenter referat.

XIX. Nullus Missionis administrator instrumenta legalia de bonis Ecclesiae conficiat sine expressa auctoritate Episcopi, qui legisperitos in huiusmodi negotiis versatissimos consulere non dubitabit, sicque revisioni accurratissimae subiiciantur.

XX. Omnia aedificia ad Missionem pertinentia contra incendium secura reddantur per annuam solutionem factam alicui societati ad hoc destinatae.

XXI. Omnis eleemosynas fidelium quaerens muniri debet autographo Ordinarii, vel Superioris proprii, obiectum quaestus pii declarante, et recognito ab Ordinario loci, ubi quaestum facit, cum conditione in eo expressa, quod ipse teneatur rationem accuratam reddere Episcopo vel Superiori suo omnium summarum ab eo collectarum, cum determinatione locorum in quibus versatus fuerit, et personarum a quibus eas habuerit, cum expressione temporis suae in singulis locis residentiae.

(*Acta et Decreta II Concilii Prov. Westmonasteriensis*, anno 1855. — *Pars II — Coll. Lacen. III*, pag. 980).

XII

Decretum S. Cong. Episcoporum et Regularium de Institutis votorum simplicium et de ordinationibus Regularium, 4 novembris 1892

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda: facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus, et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSmus D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Emi Patres in Conventu Plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 mens. augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia

d. 23 sept. huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum Apostolica Auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me. Pii PP. IX edita die 12 mens. iunii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad Sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint, vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non

expleverit triennium; quoad Instituta vero votorum simplicium ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio*, ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. iulii anni 1694, incipien. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno, vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in Sacris insuper Ordinibus constituto, dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eadem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc resursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemni

tatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint obtinuerintque vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod, saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892

I. Card. VERGA, *Praefectus*.
✠ Jos. M., Arch Caesaren., *Secretarius*.

XIII

S. Congr. Episc. et Regul. Decretum *Singulari quidem* de eleemosynarum collectis, 27 martii 1896

Singulari quidem protectione et auxilio dignae semet exhibent mulieres quae in piis religiosisque institutis Deo se devovent, ut in proximorum bonum longe lateque, opera misericordiae exerceant nedum diserte, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quaeritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiae, charitatis aliarumque virtutum laudem praeseferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium, prae muliebri quaeritantium indole, ac hodierna humanae societatis conditione, periculis haud vacet nisi opportunis cautelis communiatur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, haec quae sequuntur statuit ac decrevit.

I. In votorum simplicium Institutis opus quaeritandi eleemosynas alumnae non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quaerant, sed ipsi Christo Iesu, memores verborum eius : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Praeterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et

devotione prosequantur, tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac praesidio in qualibet necessitate.

II. Iisdem votorum simplicium Sororibus non liceat eleemosynas quaerere, sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.

III. Stipem quaesiturae, extra dioecesim respectivae residentiae, licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci in quo eleemosynas quaeritare desiderant.

IV. Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae, nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt, inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

V. Ordinarius loci, in quo extat domus Sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedat.

1. Si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet ;

2. Si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco in quo sorores resident, vel infra propriam dioecesim, Ordinarius eisdem licentiam non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

VI. Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas, pro locorum, temporum et personarum adiunctis, magis opportunas in Domino iudicaverit. Licentia vero Ordinarii piae Sororum domus contineat litteras vel commissorias ad

parochos aliasve prudentes personas, pro Sororibus quaeritantibus intra dioecesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum dioecesium pro Sororibus extra propriam dioecesim quaeritantibus. In litteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera praesto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipsi Ordinario referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque dioecesi, Sorores ad quaeritandum admissas protegat ac adiuvet ac si sibi subditas eas haberet.

VII. Quisque loci Ordinarius Sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemoynas colligendas non admittat, nisi prius eamdem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero huiusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quaeritandi in propria dioecesi. Ubi autem Sorores, etiam si utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius iubeat, opportunisque etiam mediis, si opus fuerit, compellat.

VIII. Superiorissae, praesertim extra locum ubi domus habent, numquam ad eleemosynas quaerendas mittant Sorores nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses ; et semper ea pecuniae summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quaeritantes semper et ubique ea, qua decet, modestia eniteant ; virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant ; clamores, tabernas, aliaque loca incongrua evitent ; nec in domibus longiorem moram faciant quam sit necessarium pro expetendis eleemosynis. Singulae numquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea ; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium

perveniant. De suo adventu futuro praemoneant illum, cui datae sunt Episcopi litterae; eique cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium feminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, numquam vero in domo ubi possint in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant: quotidie de mane aliquam ex viciniorbus Ecclesiis petant, ibique Sacro assistant: singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaeritent. Elapso tempore ad quaeritandum eis praefixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum operum exposita inopia, si quid sponte offeratur acceptent, secus patienter divinae Providentiae confidant. Alias normas opportunas, quae a propria Superiorissa datae fuerint, adamussim observent.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 27 martii 1896.

I. Card. Verga

Praefectus.

A. Can. Boccafogli

Sub-Secr.

XIV

Constitutio SS. D. N. Leonis Papae XIII *Conditae* de religiosis votorum simplicium, 8 decembris 1900

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioécesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio : aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur : aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes

quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum ; eae quippe unâ inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine ; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere ; eâdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur : actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet ; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat : ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum

ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda :

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit : si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant : an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, que redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant ; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis ; vel similes domos

excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris femininisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.


V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII, De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat : eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.


VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda :

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum ; integra tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa [1], ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus cuius in diocesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare, temporare ne liceat.

---

[1] Sess. XXV, cap. XVII, *De Regul. et Monial.*

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi ; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus : ut a moderatoribus quisque suis proponantur ; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta ; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur : ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem*, a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur

sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedicto XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC ; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet : singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam ; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium : ita nimirum ut neque praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet ; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis ; Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia

profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentu poenitentiae, de iisque oportune statuendi, iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina, ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae dacreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae

inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus : irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari ; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. Aloisi Masella,
Pro-Dat.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brev.

A. Card. Macchi,
Visa de Curia.

I. De Aqvila,
e Vicecomitibus.

I. Cvgnonivs.

XV

Decretum S. Cong. Episcoporum et Regularium *Quemadmodum* circa manifestationem conscientiae, 17 decembris 1890

Quemadmodum omnium rerum humanarum quamtumvis honestae sanctaeque in se sint ; ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant ; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur ; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum ; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent ; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis ; aliunde Superiorum arbitrium

eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex

propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur [1], et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quae incipit *Pastoralis curae :* Sanctitas sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinariam denegent subditis Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

[1] Sess. xxv, cap. x. *De Regul.*

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiem a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum ut studiose accurrateque huius Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis ubicumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 decembris 90.

I. Cardinalis VERGA,

Praefectus.

✠ FR. ALOISIUS, Episcopus Callinicen.,

Secretarius.

XVI

Responsio S. Cong. Episcoporum et Regularium circa interpretationem decreti *Quemadmodum*, 17 aug. 1891

In Decreto a S. Cong. Episc. et Reg. die 17 decembris praeteriti anni 1890 edito, haec verba leguntur : *Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur : quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre ferre demonstrant.* Quibus verbis haec subsequuntur : *Ac ne evanida tum provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae recurrere esse facile queant.*

Omnibus perpensis, necnon Sanctae Apostolicae Sedis patefacto proposito nullum infligendi vulnus disciplinae de Confessariis ordinario et extraordinario, Episcopo Malacitano sequentia eveniunt dubia, quae ipse S. Cong. solvenda submittit :

I. Quis sub nomine Praesulis vel Superioris, cuius est subditis concedere vel denegare Confessarium extraordinarium,

intelligitur ? An ipse qui ordinarium Confessarium deputavit, vel potius qui domui praeest, sive vir sit, sive femina ?

2. Cum, ex decreto, Superior, quicumque sit, nequeat Confessarium extraordinarium denegare, immo nec aegre se [illegible] petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus [illegible] indulgere, quamvis, plane videat necessitatem esse fictam [illegible], vel scrupulis vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petente apprehensam ?

3. Praesul, qui ex dictis Confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius Confessarii : vel idem Religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos, ut hoc sibi munus impleat ?

R. *S. C. Ep. et Reg.* — Ad 1. Negative ad primam partem : affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative ; sed subditi moneantur non posse extraordinarios Confessarios petere nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant.

Ad 3. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

XVII

Responsio S. Cong. Episcoporum et Regularium, circa interpretationem decreti *Quemadmodum* 1 februarii 1892

1. La faveur accordée aux Religieuses de recourir à un confesseur extraordinaire, *quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur*, est-elle illimitée et sans condition, de sorte qu'elles puissent en user constamment, sans jamais recourir au Confesseur ordinaire, et sans pouvoir être soumises à un examen, sur ce point même, par l'Evèque, et empêchées par lui en quelque manière, si elles sont guidées par des motifs ridicules ou blâmables ?

2. Les Confesseurs adjoints ont-ils le devoir de conscience de se refuser à entendre les confessions des Sœurs, lorsqu'ils reconnaissent qu'il n'y a aucun motif plausible de recourir à eux ?

3. Si quelques Sœurs, (et ce qui est pire, si la majeure partie d'entre elles) recouraient constamment à l'un des Confesseurs adjoints, l'Evèque devrait-il garder le silence, ou intervenir de quelque manière, pour conserver intact le principe établi dans la bulle *Pastoralis : Generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium monasteriis unus duntaxat Confessarius deputetur ?*

4. Et supposé qu'il doive intervenir, quel moyen peut-il prendre légalement ?

R. *C. Ep. et Regul.* — Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Ad 4. Moneat Ordinarius Moniales et Sorores de quibus agitur dispositionem art. 4 decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus duntaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Conc. Tridentino, et a Constitutione Benedicti XIV incipiente *Pastoralis Curae*, praescriptum habetur.

XVIII

S. Cong. Rituum decretum super oratoriis semipublicis, cum adnexo decreto *Nivernen.*, 8 martii 1879 — 23 ianuar. 1899

A Sacra Rituum Congregatione saepe postulatum est, quaenam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae, vel familiae, ex Indulto Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur. Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit : Oratoria semipublica ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt commodo tamen, non Fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii

sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt, quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendae destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria in quibus ex instituto, aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Capellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac praeterea confirmare dignata est Decretum in una *Nivernen.* diei 8 martii 1879. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 ianuarii 1899.

C. Ep. Praenestinus Card. Mazella,
S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Diomedes Panici,
S. R. C. Secret.

(Decr. authent. n. 4007).

Nivernen

Rmus D. Stephanus Antonius Lelong, Episcopus Nivernen., quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit, opportunam declarationem seu resolutionem humillime expostulans; videlicet:

I. Potestne Episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi:

1. in Capellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum, etiam earum quae clausuram non habent;

2. in Capellis seu Oratoriis piarum Communitatum, quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis;

3. in Capellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semipublica in eo sensu quod habeant ingressum in via publica, vel prope viam publicam, ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne Episcopus alia Oratoria praeter Capellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus, sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium ut ab omnibus Missa dici possit, sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Capellam seu Oratorium principale?

III. Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi Smum Sacramentum:

1. in Ecclesiis seu Capellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Paroeciae inserviant;

2. in Capellis piarum Communitatum publicis, id est

quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante, et quae habitantibus omnibus aperiuntur ;

3. in Capellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Capellam seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis ?

IV. Potestne Episcopus iure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus Dominicis aut festivis de praecepto celebrandi :

1. in Oratoriis seu Capellis, quae a S. Sede vel vi induiti ab ea concessi fuerunt approbata, quando propter distantiam a parochiali Ecclesia ista secunda missa proficere potest voto Parochianorum, qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime ;

2. in duabus Ecclesiis in eadem Parochia existentibus quando pro utraque deservienda unicus adest Sacerdos, et tamen sine detrimento religionis Missa in una tantum celebraretur ;

3. in eadem Ecclesia, quando aliter pars sat notabilis Parochianorum Missam non audiret ;

4. quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda Missa ut communicari a Fidelibus cum maiori facilitate et aedificatione frequentius possit ?

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, hisce postulatis sic respondit :

Ad I. Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis.

Ad II. Si porro, ex piarum Communitatum conditione, necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda.

Ad III. Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata.

Ad IV. Posito quod Episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede Sacerdotibus suae Dioecesis indultum bis in die festo Sacrum litandi, erit suae prudentiae hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti; si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit.

Atque ita respondit ac declaravit. Die 8 martii 1879.

(Decr. authent. n. 3484).

XIX

Decretum S. C. Concilii *Vigilanti* de turpi mercimonio stipendiorum missarum. 25 maii 1893

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis :

I. an turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt :

II. an haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur :

III. an huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex memorata cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur :

IV. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine :

V. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro :

VII. an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant :

In peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III., IV et V. Affirmative.

Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum.

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit : clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos : laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII [1] alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos quos eis indigere noverint : alias deinde aut S.

[1] In Const. *Cum saepe contingat.*

Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit : et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 maii 1893.

ALOYSIUS, Card. Episcopus Sabinensis.

Praefectus.

L. SALVATI,

Secretarius.

XX

Pii IX Constitutio, *Apostolicae Sedis* qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur, 12 oct. 1869

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum Canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem, cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effraenemque improborum licentiam coercendam et emendandam, sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos, eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere opor-

teret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant : simul declarantes, easdem, non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatae

---

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus :

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes ; nec non libros cuiusvis auctoris

per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter s. ibtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis, eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.

7. Cogentes, sive directe sive indirecte, iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones : item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum : nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes. detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia ; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis ; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus :

1. Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 iulii 1745, *Ubi primum* 2 iulii 1746, *Ad eradicandum* 28 septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis, quoad reservationem, casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur ; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes ; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 ianuarii 1554.

12. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto kalendas aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26 iunii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum

necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus :

1. Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes ; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus :

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisit[illegible]es, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de Reb. Ecc. non alienandis.

4. Negligentes, sive culpabiliter omittentes, denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus Nostris Gregorio XV Constit. *Universi* 20 augusti 1622, et Benedicto XIV Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1 iunii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus ; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

---

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrent aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto, nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint ; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium ; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis, ipso iure incurrunt : Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata

---

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis ;

aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Sacris Canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Cœtuum Locorumque piorum, cuiuscumque nominis, aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Caeterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit : quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus ; minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in

Corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica vel immemorabili etiam consuetudine aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam [1] in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quovis alios quacumque praeminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

[1] Sess. XXIV, cap. VI, *De Reform.*

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, quarto idus octobris, Pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

XXI

Instructio S. Cong. de Propaganda Fide super dispensationibus matrimonialibus, 9 maii 1877

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari : nam quae non prosunt singula, multa iuvant, *arg. l. 5. C. de probat.* Huiusmodi autem causae sunt quae sequuntur :

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas foeminae superadulta*, si scilicet 24um aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae*, vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat, proprijsque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet : interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna, et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur ; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis : quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta, remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est : quia eius dissolutio vix

fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, *c. 7 de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid.[1].

11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in fer. IV 14 aug. 1822 decrevit : « respondendum Oratori, quod in exposito « casu utatur facultatibus sibi in Form. II. commissis, prout in « Domino expedire iudicaverit. » Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur,

---

[1] Sess. XXIV, cap. V, *De Reform. matrim.*

probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile,* ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent ; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes [1].

Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causae in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt :

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita ; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato ; in

[1] Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus — *Praxis dispensationum Apostolicarum* — Lib. VII. et VIII, ac Vincentius De Iustis — *De dispensationibus matrimonialibus* — Lib. III.

impedimento *criminis*, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii : in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta et transversa ; item an Oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum ; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti ; idem an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini ; vel an spe facilius dispensationem obtinendi : demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV, 1 augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matri-

monio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20 martii 1842, probante s. m. Greg. XVI ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis diei 10 decembris 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 maii 1877.

XXII

Instructio SS. D. N. Pii Papae IX, super matrimoniis mixtis, 15 nov. 1858

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex de Universi Dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus, pro Apostolici Ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae de hisce coniugiis documenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de huiusmodi Catholicos inter, et Acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus Immortalis Memoriae Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episco-

pos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec Coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se, ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari ullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones ut haec mixta Coniugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum, et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare, aperteque

fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa, ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit in posterum, unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimenta concedere solet. Itaque, rebus omnibus, maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce coniugiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum Ipsi in posterum huius Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus Locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis, firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate Catholicae Religionis omni-

no educanda, indicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio, et conscientiae omnino commissam, maiori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a mixtis hisce coniugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem coniugia pertinentes, atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI [1], Pio VII [2], Pio VIII [3]

[1] *Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii :*— Exequendo nunc — die 13 iulii 1782.

[2] *Epist. ad Archiep. Moguntinum :* — Etsi Fraternitatis Tuae — die 8 oct. 1802.

[3] *Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen, :* — Litteris altero abhinc anno — die 25 martii 1830. *Instructio ad eosdem Archiep., et Episc.*, die 27 martii 1830.

et Gregorio XVI [1] de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur.

Datum Romae die 15 novembris 1858.

J. Card. Antonelli.

---

[1] *Epist. ad Archiepiscopos et Episc. Bavariae :* — Summo iugiter studio — die 27 maii 1832. *Instructio ad eosdem*, die 12 septembris 1834.

Epist. ad Archiep. et Episc. Hungariae : — Quas vero — die 30 aprilis 1841. *Instructio*, die 30 aprilis 1841. *Instructio ad Archiep. et Episc. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus*, die 22 maii 1841.

XXIII

Instructio S. Cong. de Propaganda Fide super matrimoniis mixtis, 25 martii 1868

Post editam instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia, cui sub die 15 nov. 1858 subscripsit Emus ac Rmus D. Cardinalis Antonelli, eae ad Sacram hanc Congregationem pervenerunt notitiae non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta coniugia absque iusta et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum eiusdem literae ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat quid catholica Ecclesia de huiusmodi catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem*; dein vero in Ordinariorum memoriam revocat *antiquissimos Canones*, nec non *recentiores Summorum Pontificum sanctiones* quibus *etsi aliquid de severitate canonum remissum sit adeo ut mixta coniugia quandoque permit-*

tantur, id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali ac divino iure fundatis*, ut scilicet *non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat.*

Quae cum sita int, mirari omnino debuit Sacra haec Congregatio quod nonnullis videri potuerit praedicta instructione principiis quae semper Sancta Sedes circa mixta connubia tenuit ac docuit aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuae subditis iurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere atque inculcare studeas. Porro, quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum minime sufficit ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non caeteras clausulas in rescriptis apostolicae Sedis solitas, sed omnino *iustae gravesque* requiruntur causae, ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque iure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur ; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper missae celebratione, in mixtis coniugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione *ut*

omnia rerum, locorum, ac personarum adiuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate. Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur !

Quamobrem enixe peto a charitate tua, ut quantum cum Domino poteris fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in iis continentur, pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si matrimonia mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

Precor Deum ut Tibi fausta quaeque largiatur.

Datum Romae ex Aed. S. C. de Prop. Fide die 25 martii 1868.

XXIV

S. Officii instructio ad probandum obitum alicuius coniugis, An. 1868

Matrimonii vinculo duos tantummodo, « Christo ita docente, copulari, et coniungi posse; alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est ».

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Con tionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus, De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium*, uti cap. *In praesentia, De sponsalibus, et matrimoniis*. Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias*, 21 augusti 1670 a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis, et coeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12, et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda, et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset ; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis : *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes*), sequitur, quod, stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda, ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, ita ut in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine parvo partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens, in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque :

I. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a

Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet ; exaratum scilicet ex regestis Paroeciae, vel Xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit ; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur ; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs se erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi, et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis, moribus imbutus esset; pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit, annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt :

Si ob militium abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat ; utrum alicui pugnae interfuerit ; utrum ab hostibus fuerit captus ; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris, gravia pericula fuerint ipsi superanda : num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus : utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae *etc., etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit ; quinam fuerint itineris socii ; quo se contulerit ; quod nomen navis quam conscendit ; quis eiusdem navis gubernator ; an naufragium fecerit ; an societas quae n[illegible] cautionem forsan dedit, pretium eius solverit ; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum : quod a duobus saltem testibus fide dignis, et iuratis comprobetur ; qui deponat de rationabili causa ipsius famae ; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant ; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet ; cumque de re gravis-

sima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

XXV

SS. D. N. Leonis Papae XIII Constitutio Apostolica *Officiorum* de prohibitione et censura librorum, VIII kal. febr. 1897

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi : sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda : ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli

viderunt proxima originibus tempora : similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint Romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt, litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wiclefi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat : propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingeni ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri, certas tulere leges utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII, gravissime sanxerunt, ne cui legere, seu retinere Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod

quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas : quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea,

propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris ad argumenta paranda delectis id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis...... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant, et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant : inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non mado connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum : ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus, norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem ; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium

imitamur : quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt : quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iusse editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA

De prohibitione et censura librorum

TITULUS I

De prohibitione librorum

CAPUT I

DE PROHIBITIS APOSTATARUM, HAERETICORUM, SCHISMATICORUM, ALIORUMQUE SCRIPTORUM LIBRIS

---

1. Libri omnes, quos ante annum MDC. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo

Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II

DE EDITIONIBUS TEXTUS ORIGINALIS ET VERSIONUM NON VULGARIUM SACRAE SCRIPTURAE

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III

DE VERSIONIBUS VERNACULIS SACRAE SCRIPTURAE

---

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri ; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur : iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV

DE LIBRIS OBSCENIS

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPUT V

DE QUIBUSDAM SPECIALIS ARGUMENTI LIBRIS

11. Damnantur libri, in quibus Deo aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data

opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPUT VI

DE SACRIS IMAGINIBUS ET INDULGENTIIS

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a

Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiar · libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII

DE LIBRIS LITURGICIS ET PRECATORIIS

---

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat : si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede adprobatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo, praeter legitimae auctoritatis licentiam, publicet : secus, prohibiti habeantur.

CAPUT VIII

DE DIARIIS, FOLIIS ET LIBELLIS PERIODICIS

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX

DE FACULTATE LEGENDI ET RETINENDI LIBROS PROHIBITOS

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate

gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati, iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X

DE DENUNTIATIONE PRAVORUM LIBRORUM

---

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare ; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II

De censura librorum

CAPUT I

DE PRAELATIS LIBRORUM CENSURAE PRAEPOSITIS

---

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere : quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id

nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum : hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II

DE CENSORUM OFFICIO IN PRAEVIO LIBRORUM EXAMINE

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sancta dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III

DE LIBRIS PRAEVIAE CENSURAE SUBIICIENDIS

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram

Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV

DE TYPOGRAPHIS ET EDITORIBUS LIBRORUM

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant : ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V

DE POENIS IN DECRETORUM GENERALIUM TRANSGRESSORES STATUTIS

---

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur ; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero literas et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive

intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse ; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus : irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VIII kal. februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. MACCHI,

Visa de Curia.

A. PANICI,
Subdatarius.

Loco ✝ Plumbi.

I. DE AQUILA,
e Vicecomitibus.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

XXVI

S. Officii instructio ad omnes catholici orbis Episcopos de secta Massonum, 10 maii 1884

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earundem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum. At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1. Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII, ad integrum anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, in quas inciderunt; et facultatem concedit omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobatis, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant. Erit igitur sacrorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2. Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice proponuntur, quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur. — Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum [illegible] inde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bo[illegible]m omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit,

ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3. Ne quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae capite II, n. IV, Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4. Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quae licet certo statui nequeat, pertineant necne ad has, quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod, ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem, corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5. Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suae periucundam, si praeter commune et

usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quos latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Humanum genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberrimum, cum, refutatis erroribus, christianae doctrinae vim, praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6. Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curae sunt convertendae. Atque ad iuventutem quod attinet, adnitendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime serviendum. Iuvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove caelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7. Perutile etiam est, hinc patres, illinc matres-familias fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures huius generis consocia-

tiones huc illuc inductae sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quae Caelitis alicuius tutelae sese commiserunt, et laetissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8. De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi caelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis sese dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9. Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas*, quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione, in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur quantae ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae Rosario

nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab iis solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vincentii a Paulo vel Marianos, quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera, quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10. Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scientiarum Academiae excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae sub eorum auspiciis iniri et quae tum huic tum publicae magis conferunt, statui possent. Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11. Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius, sicut et Supremae huiusce Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties

statum describent dioeceseon, referre ne [illegible]ittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria Sancti Officii die 10 maii 1884.

RAPHAEL, Card. MONACO.

XXVII

Ex literis S. Officii ad delegat. apost. in Foederatis Statibus, *De quibusdam societatibus damnatis*, 20 aug. 1894

Amplitud. T. profecto non latet, Rmos Archiepiscopos in ecclesiasticis provinciis istius Foederatae Reipublicae constitutos, in suis conventibus egisse de tribus quae istic coaluerunt Societatibus, Sociorum nempe singularium (*Odd Fellows*,) Filiorum temperantiae (*Sons of Temperance*) et Equitum Pythiae (*Knights of Pythias*,) atque unanimi consensu rem totam iudicio Sedis Apostolicae detulisse.

Porro SSmus Dominus N. quaestionem examinandam tradidit Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus, una mecum Inquisitoribus Generalibus. Hi vero generali Congregatione feria IV, die 20 iunii 1894, confirmantes iudicium de aliquibus ipsismet societatibus alias latum, decreverunt :

Cunctis per istas regiones Ordinariis esse omnino connitendum, ut Fideles a tribus Societatibus praedictis et ab unaquaque earum arceantur ; eaque de re ipsos Fideles esse monendos. Et si, monitione insuper habita, velint adhuc eisdem Societatibus adherere, nec ab illis cum effectu separari, a perceptione Sacramentorum esse arcendos.

SSmus Dominus N. sententiam hanc plene confirmavit et ratam habuit.

XXVIII

Responsio S. Officii *De societatibus damnatis*, 19 ian. 1896

Quaesitum fuit an remota quavis alia sectarum *Odd Fellows, Knights of Pythias, Sons of Temperance* participatione, hoc saltem liceat, nomen proprium in sociorum catalogis retinere, necnon in praefatae taxae vel aeris alieni solutione, stato tempore, perseverare. Quod dubium sane gravissimum cum SSmus Dominus N. Sacrae huic Cong. commiserit enucleandum, eadem S. Cong. re mature perpensa, respondendum censuit : Generatim loquendo, non licere ; et ad mentem.

Mens est quod ea res tolerari possit, sequentibus conditionibus et adiunctis simul in casu concurrentibus, scilicet :

1. Si bona fide sectae primitus nomen dederint, antequam sibi innotuisset societatem fuisse damnatam.

2. Si absit scandalum, vel opportuna removeatur declaratione, id a se fieri ne ius ad emolumenta vel beneficium temporis in aere alieno solvendo amittat : a quavis interim sectae communicatione, et a quovis interventu, etiam materiali, ut praemittitur, abstinendo.

3. Si grave damnum sibi aut familiae in renuntiatione obveniat.

4. Tandem ut non adsit vel homini illi, vel familiae eius periculum perversionis ex parte sectariorum, spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis; neve similiter adsit periculum funeris peragendi a ritibus catholicis alieni.

Quae cum SSmo Domino Papae Leoni XIII relata fuerint, in totum approbata et confirmata fuerunt. Verum cum de re gravissima atque periculorum et difficultatum plena agatur quae plurimas non modo Dioeceses sed et Provincias ecclesiasticas respicit, idem SSmus Dominus N. jussit, ut, uniformis regulae servandae causa, casibus particularibus A. T. et in Apostolica Delegatione (apud Americae Status Foederatos) successores providere possint.

XXIX

Responsio S. Officii *De Vexillis*, 3 septembris 1901

1. *Circa benedictionem vexillorum.* Non esse benedicenda vexilla, nisi earum societatum, quarum statuta ab auctoritate Ecclesiastica adprobata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum, praeseferant.

2. *Quoad vexilla in ecclesia introducenda.* Non esse admittenda nisi vexilla Confraternitatum et ea quae benedicta fuerint ut supra.

R. Card. Monaco.

XXX

Responsio S. Officii *De Craniotomia*, 28 maii 1884

An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et infans perituri sunt : ea contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ?

S. C. S. Off. resp. : Tuto doceri non posse.

XXXI

Ex responsione S. Officii *De abortu*, 25 iulii 1895

Titius medicus, cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, h. e., foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus ejectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed tantummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

Jam vero, lectis quae, die 19 augusti 1889, S. Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit : *tuto doceri non posse* licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus, etiam si hoc necessarium foret ad matrem salvandam : dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret. Quare, ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit :

Utrum enuntiatas operationes, in repetitis dictis circumstantiis, instaurare tuto possit ?

S. C. S. Offic. resp. — Negative, juxta alia decreta, diei scilicet 28 maii 1884 et 19 augusti 1889.

SSmus Dominus Noster relatam sibi EEmorum Patrum resolutionem adprobavit.

XXXII

Responsio S. Officii
De acceleratione partus et de laparatomia,
6 maii 1898

1. Eritne licita partus acceleratio, quoties, ex mulieris arctitudine, impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore ?

2. Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare, aut caesaream suo tempore perficere operationem ?

3. Estne licita laparatomia (seu sectio a parte lateris) quando agitur de praegnatione extra-uterina, seu de ectopicis conceptibus ?

S. C. S. Officic. resp. — Ad I. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis, et eo tempore, ac modis, quibus, ex ordinariis contingentibus, matris et foetus vitae consulatur.

Ad 2. Quoad primam partem, negative, juxta decretum feria IV, 24 iulii 1895. de abortus illiceitate. Ad secundum vero quod spectat. nihil obstare quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur.

Ad 3. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae. quantum fieri potest. serio et opportune provideatur.

SSmus resolutionem EEmorum PP. adprobavit.

XXXIII

S. Officii decretum *De quodam usu Hypnotismi*, 26 iulii 1899

Beatissime Pater,

N. N. Doctor in arte salutari ad S. V. pedes provolutus, ut conscientiae suae quieti provideat, humiliter postulat utrum partem habere possit in disputationibus quae nunc instituuntur penes Societatem a Scientiis Medicinalibus loci N. circa suggestiones hypnoticas in curandis pueris infirmis. Agitatur enim discussio, non solum circa experimenta iam facta, sed etiam denuo facienda, sive ea explicari possint iuxta naturales leges, sive non ; quapropter orator, ne errandi periculo exponatur, expectat dociliter S. Sedis oraculum.

Feria IV. die 26 iulii 1899

In Congregatione Generali habita ab EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque Reverendissimorum DD. Con-

sultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali ; et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis et partes theologi non agat. — Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere ; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.

Insequenti vero feria VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. PP. XIII R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dnus responsionem Eminentissimorum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI,

S. R. et U. Inquisit. Not.

XXXIV

S. Officii decretum *Cum recenter* de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis, 5 decembris 1894

Feria IV, die 5 decembris 1894

Cum recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium una mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari, et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem ; Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. R. E. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dictae feriae IV, die 5 decembris 1894 ; re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet :

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne

aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum incideret in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum, et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Assessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, idem Sanctissimus Dominus praesens Decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione Apostolicae dispensationis.

Ios. Mancini,
S. R. et U. I. Notarius.

XXXV

S. Officii responsio ad dubia quoad Decretum *Cum recenter* de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis, 18 martii 1896

Feria IV, die 18 martii 1896

Post latum feria IV, die 5 decembris 1894, Supremae huius Congregationis S. O. decretum, quod incipit *Cum recenter*, quo facultas fit locorum Ordinariis anticipandi in alium diem, vel etiam, gravissimis de causis, dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum in vetitum aliquem diem incidentium, a pluribus locis circa eiusdem decreti genuinum sensum dubia proposita fuere quae sequuntur :

I. Utrum ad hoc ut Episcopus dispensare valeat, ad tramitem decreti, necesse sit ut festum celebretur magno populorum concursu ?


II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festo duplicis praecepti, an etiam quando agitur de alio festo, vel de alia Catholica solemnitate, ex. gr. de centenariis, peregrinationibus et similibus ?

III. Quomodo sit intelligendus magnus populorum concursus, an populorum extraneorum vel etiam eiusdem civitatis aut loci ?



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



IV. Utrum inter causas gravissimas, ob quas Episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur ?

V. Utrum in diebus exceptis, ieiunio consecratis, vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia vel etiam illam anticipare ?

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere Parochis, ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia ?

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis in Congregatione Generali habita feria IV, die 18 martii 1896, Emi ac Rmi Domini Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam ; modo adsit magnus populorum concursus.

Ad III. Attentis omnibus, intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad IV. Affirmative : dummodo periculum sit generale.

Ad V. Affirmative, scilicet utrumque vetitum est Episcopis.

Ad VI. Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 20 eiusdem mensis, SSmus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, relatas sibi Emorum Patrum resolutiones benigne adprobare et confirmare dignatus est.

XXXVI

Responsio S. Officii *De sepultura Ecclesiastica*, 16 maii 1866

Utrum liceat Ecclesiasticam sepulturam dare suicidis, aut solemnes exequias cum Missa pro eisdem celebrare ?

S. C. S. Offic. resp. — Moneantur Parochi et Missionarii ut, in singulis casibus quibus praesens dubium refertur, recurrant, quoad fieri possit, ad Ordinarium ; quod regula est, non licere dare Ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint poenitentiae ; quod propterea, quando certo constat de iracundia vel desperatione, negari debet Ecclesiastica sepultura et vitari debent pompae et solemnitates exequiarum ; quando autem certo constat de insania, datur Ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum ; quando tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest Ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum.

XXXVII

Responsio S. Officii *De crematione*, 16 maii 1886

Non pauci Sacrorum Antistites cordatique Christifideles animadvertentes, ab hominibus vel dubiae fidei, vel massonicae sectae addictis magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui : veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi : ut aliqua certa norma iisdem fidelibus praesto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant ; a Suprema S. Rom. et Univ. Inquisitionis Congregatione declarari postularunt :

1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera ?

2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur ?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales in rebus fidei Generales Inquisitores supra scriptis dubiis serio ac mature perpensis, praehabitoque DD. Consultorum Voto respondendum censuerunt :

Ad 1. Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas.

2. Negative.

Factaque de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

Ios. Mancini.

S. R. et U. I. Notarius.

INDEX

ANALYTICUS RERUM

QUAE CONTINENTUR IN ACTIS ET DECRETIS

CONCILII PROVINCIALIS MARIANOPOLITANI

PRIMI

A

E

P

INDEX SYNOPTICUS

ACTORUM ET DECRETORUM

CONCILII PROVINCIALIS MARIANOPOLITANI

PRIMI

ACTA CONCILII

DECRETA CONCILII

APPENDICES AD CONCILIUM PROVINCIALE MARIANOPOLITANUM PRIMUM
